COMMENTARIUS
HISTORICUS.

COMMENTARII
DE REBUS PERTINENTIBUS
AD
ANG. MAR. S. R. E. CARDINALEM
QUIRINUM

PARS PRIMA

In duos Libros divisa.

BRIXIÆ.
Ex Typographia JOANNIS-MARIÆ RIZZARDI.
MDCCXLIX.
SUPERIORUM PERMISSU.

LECTORI BENEVOLO.

QUum proximis superioribus mensibus adactus repentino fuissem studia mea in alium cursum deflectere, nimirum a Gestis, Scriptisque Cardinalis Reginaldi Poli ad perquirendos, versandosque Libros Cardinalis Augustini Valerii, accidit, ut inter istos converterim potissimum oculos ad Commentarium de rebus suis ab eo compositum, editumque in lucem ante annos triginta typis Patavinis. Dum cernerem autem diligentissime ibidem narrari, *Quot Valerius libros ad eam usque diem confecisset, quibus moribus in adolescentia, in juventute, in reliqua vita fuisset, quos amicos habuisset, quid quovis tempore sibi accidisset;* in mentem mihi rediit paris generis mearum rerum Commentarius, cui adornando a quindecim circiter annis manus admoveram. Latebat ille omnino repositus in schedarum quarumdam congerie, quod animum ejusdem absolvendi

prorſus abjeciſſem, poſtquam præſertim nonnulla inde deſumpta in literis ad Academicos Pariſienſes an. 1743. exaratis vulgaveram. Rurſus ergo e latebris nuper erutus fœtus ille placere mihi aliquantulum cœpit, fauſtique ominis loco habui, quod ad illum expromendum veluti impulſorem ſe mihi præberet meus ille inclytus Civis, præſtantiſſimuſque Collega cum Epiſcopalis, tum Ampliſſimi Ordinis. Acceſſit, quod Cardinalis Guido Bentivolus, quo nemo Virum eundem honorificentiori ornavit elogio, hoc ipſum inſerendum duxerit Hiſtoricis rerum ſuarum Narrationibus, quas ille pariter, æque ac Valerius Cardinalis, literis mandavit. Itaque illuſtribus hiſce exemplis excitatus, curæ me addixi, cujus fructum tibi in præſens offero, Lector benevole. Hanc vero noveris ſuſceptam a me, abſolutamque fuiſſe intra Paſchales hebdomadas jam jam elapſas. Quod hiſce enim conſtituiſſem Salisburgenſe iter conficere, propo-
ſi-

ſitumque meum iſtud in irritum ceſſiſſet ex tempeſtatis inclementia; domi manens in animum induxi, multo longiores, quas in prima hac Commentarii mei parte deſcriptas reperies, peregrinationes obire.

Nullus profecto dubito, vehementer tibi probatum iri, ex inita a me in hoc libello concinnando ratione, pleraſque narrationes eodem comprehenſas exhibitis illico tabulis fulciri, atque firmari; Epiſtolis nempe, quibus omnis ambiguæ fidei ſuſpicio ab iiſdem narrationibus amoveatur, & quibus etiam natura negotiorum, quorum inibi mentio fit, hominumque in iis ſeu gerendis, ſeu referendis animus, ac ingenium, veluti in fidiſſimo ſpeculo, eniteſcant. Literas hujuſcemodi eo digniores eſſe quæ imprimantur, quo longius eorum, qui eas ſcripſerunt, mens abfuit ab earundem editione, ſapientiſſime Clariſſimum Bozium effatum eſſe, dum mutuas Dacerii, & Da-

ceriæ Conjugum memoraret, alibi prodidi, attulique insuper æque Clarissimi Abbatis Oliveti scitum istud dictum, *L'on doute lors qu'il s'agit des grands hommes, si c'est amour propre, ou reconnoissance qui fait, que nous parlons de leur amitié, & souvent de peur d'être soupçonnez d'une foiblesse, nous renonçons a un devoir*. Horum Virorum auctoritas, multoque magis expositarum in hoc Commentario rerum fides, omnimodis a me deposcebat, ne eundem literarum, quas provide ab interitu servaveram, præsidio fraudarem, quo si ille caruisset, non historiam, sed apologos conscripsisse, alicui videri possem.

Quod spectat ad honorifica de me testimonia, quibus eæ literæ scatent, ingenue fatebor, conatum aliquando me esse cuncta illa demetere, statimque mihi innotuisse, ob eam obtruncationem repente quidquid lucis in iis literis ex scribentis ingenio internitebat, extingui. Caute igitur falcem adhibens, iis

testimoniis peperci, quorum omissio amicorum erga me humanitatem nimis obscurasset. Hanc contra nunquam prædicare cessabo ita largiter expertum me fuisse seu in Etruria, seu in Gallia, quibus in locis vitæ meæ partem illam transegi, quam bini priores libri hujusce Commentarii complectuntur, ut nihil amplius in hoc felicitatis genere desiderari a me deinceps potuerit, aut desiderandum ullo modo in præsens supersit. Cæterum in afferendis literis illis me nihil inani gloriæ dedisse, argumento cuique esse debet, earum, quas ipse scripsi, suppressio; etsi ipsarum stylum non defuerint qui humaniter commendarent, præsertim Cardinalis Destrées, & P. Montfauconius. Ille die 4. Dec. 1713. hæc ad me scripsit, *Vous m'avez escrit, Monsieur, ou Mon Reverend Pere, ou Vostre Excellence, ou Vostre Paternité, une lettre admirable dans nostre langue. Comment l'avez vous si bien volée? Je Vous aurois permis d'en piller dix autres de*
touts

touts les tems, Grec, Latin, Arabe, Siriac, Cofte, Efpagnol, & jufqu' au Bearnois, Anglois, & mefme bas Breton. Mais ce vol dont je me plains fur vos amis, c'eft un trait inhumain, & comment Vous le pardonner? Montfauconius vero die 30. Mart. 1714. ita loquitur, *Vôtre caractere vous diftingue afsés, fans que vôtre nom paroiffe; j'entends par le caractere non pas l'écriture, mais le ftyle. Le vôtre eft fi marqué que je n'en connois point de femblable, fpirituel fans affectation, rempli de tours tout a fait agreables.*

Tandem te moneo, alteram Commentarii hujufce partem in binos pariter libros diftribuendam effe, quorum primus res meas fpectantes ad poftremos Clementis XI. annos, pariterque ad tempora Innocentii XIII. Benedicti XIII. & demum Clementis XII. comprehendet; fecundus vero BENEDICTI XIV. feliciter Regnantis Pontificatum unice attinget. Vale.

ELEN-

ELENCHUS EPISTOLARUM

Quarum præsertim fide innituntur Narrationes hoc Volumine comprehensæ.

AGUESSEAU (Henr.Franc.) Cancel.Fr. p.189.
ALARY (Petrus Joseph) p. 126.
BENTIVOLUS (Cornelius) Cardinalis. p.192. 199. 248. 295.
BISSI (Henricus) Cardinalis. p. 191.276. 291.
BOIVINIUS (Joannes) p. 266. 267.
BOUTARDUS (Rodulphus) p. 122.
BOUHIERUS (Joannes) p. 251.
BOZIUS (Claudius) p. 133.
BRENKMANNUS (Henricus) p. 73.74.
CALMETUS (Augustinus) Ord. S.Bened. p. 99.
CLERICUS (Joannes) p. 46.
COLBERTUS (Car.Joach.) Monpesulanus Episc. p. 277. 292.
COSIMUS III. M. D. ETR. p. 75. 96. 145. 150.
DACERIUS (Andreas) p. 268
ESTRE'US (Cæsar) Cardinalis. p. 190. 245. 246. 256. 261. 275. 276. 287. & in Pr. IX.
ESTRE'A (Felicitas) Salesiana. p. 144.
FENELONIUS (Franc.) Archiep. Cameracensis. p. 83. 84. 241. 276. 277. 293. 294.
FLEURY (Andreas Hercules) Cardinalis. p. 221. 288. 289. 290. 295. 296.
GAILLARDUS (Honoratus) Soc. Jesu. p. 106.
M. G. Gebennensis Episcopus. p. 259.
GESURIUS (Leo Poter.) Cardinalis. p. 291.
GRANDIUS (Guido) Ord. Camald. p. 25.

GRO-

INDEX CAPITUM

LIBRI PRIMI.

CAPUT I.

Ab anno MDCLXXX. *usque ad annum* MDCC. pag. 1.

CAPUT II.

Ab anno MDCC. *usque ad annum* MDCCX. pag. 19.

CAPUT III.

Ab anno MDCCX. *usque ad annum* MDCCXI. pag. 37.

CAPUT IV.

Ab Januar. MDCCXI. *usque ad Martium ejusd. anni.* pag. 50.

CAPUT V.

A mense Mart. an. MDCCXI. *usque ad Majum ejusdem anni.* pag. 62.

LIBRI SECUNDI.

De triennali in Galliis commoratione a mense Majo an. MDCCXI. ad Majum an. MDCCXIV.

CAPUT I.

De statu literaturæ in San-Germanensi Lutetiæ Cœnobio. pag. 85.

CAPUT II.

De aliorum Ordinum Regularium Viris aliquot eruditis, quorum singularis erat Lutetiæ existimatio. pag. 98.

CAPUT III.

De Viris aliquot Eruditis, qui nulli Religiosæ familiæ adscripti, Lutetiæ florebant inter Socios Regiæ Academiæ Inscript. & Literar. politior. pag. 107.

CAPUT IV.

De reliquis Viris eruditis Lutetiæ. pag. 123.

CAPUT V.

De lustratis Regiis quibusdam, aliisque Magnificis Villis, demumque Cænobio San Dionysiano, postremis mensibus anni MDCCXI. pag. 134.

CAPUT VI.

De adita Aula Versaliensi, de itinere Remensi, & de accessu ad exequias San-Dionysianas, primis quinque mensibus an. MDCCXII. pag. 149.

CAPUT VII.

De reditu ad Fontembellaqueum mense Julio, de assidua deinde cum Blanchino Præsule consuetudine, & de itinere Meldensi mense Decemb. ejusdem an. MDCCXII. p. 166.

CA-

CAPUT VIII.

De reditu ad Urbem Parisiensem initio Januarii an. MDCCXIII. *de mansione in eadem usque ad initium Martii, peractoque deinde itinere Normanico.* pag. 193.

CAPUT IX.

De suscepto a mense Aprili usque ad Julium anni MDCCXIII. *itinere per Britanniam primo inferiorem, deinde per Ligeris aggerem, ac tandem per Campaniam, & Insulam Franciæ.* pag. 210.

CAPUT X.

De reditu ad urbem Parisiensem mense Augusto an. MDCCXIII. *Fontebellaqueo adito mense Septembri, illaque urbe repetita mense Octobri, ac tandem de Versaliensi Aula visitata mense Novembri.* pag. 229.

CAPUT XI.

De suscepto Italico itinere mense Novembri an. MDCCXIII. *aditisque ea occasione primum utriusque Burgundiæ tractibus, deinde vero civitatibus Cabilonensi, Matisconensi, & Lugdunensi, atque ex ista, post invisum Cœnobium S. Claudii in monte Jura, civitate Gebennensi, ac tandem de celebratis Festis Natalitiis in urbe Anneciensi.* p. 245.

CAPUT XII.

De suscepto Avenionem versus, Vienna, Valentia, & Arausica urbibus lustratis, itinere primis diebus mens. Januar. an. MDCCXIV. *moraque ducta in ea urbe usque ad medium mens. Martium, interjecto tamen itinere Occitano.* pag. 262.

CAPUT XIII.

De discessu ex Avenionensi urbe medio mense Martio an. MDCCXIV. *de peragratis primariis Provinciæ urbibus, de acta Hebdomada Majori in Cœnobio Lirinensi, ac postea de suscepto ex urbe Forojuliensi Italiam versus itinere, & tandem de appulsu ad Januæ portum post Nicææ, & Monoeci urbes aditas.* pag. 278.

COM-

COMMENTARII HISTORICI
LIBER PRIMUS.
CAPUT I.
Ab anno MDCLXXX. *uſque ad annum* MDCC.

ANno 1680. die 16. Martii ortum duxi Venetiis ex Paulo Quirino, qui poſtea fuit Ædis D. Marci Procurator, & ex Cæcilia Juſtiniana, filia Marci pariter Procuratoris, baptiſmumque accepi in Æde Parochiali B. Mariæ, quæ *Formoſa* dicitur, atque Hieronymi nomine, quo ipſo Patruus meus vocabatur (Procurator is quoque D. Marci) donatus fui.

An. 1687. primis menſis Octobris diebus Parentes amantiſſimi traduxerunt me Brixiam, pariterque Jo. Franciſcum fratrem meum majorem natu, traditique ambo fuimus Patribus Societatis Jeſu, ut in Collegio, quod *Nobilium S. Antonii Viennenſis* dicitur, pietate, & literis imbueremur. Novem annos ibidem tranſegi, eoque intervallo integrum ſtudiorum curriculum a Grammaticæ rudimentis uſque ad Philoſophiam, Deo bene favente, ita emenſus ſum, ut non raro mihi contigerit in unaquaque Claſſe ſeu Regem, ſeu Imperatorem renunciari, primaſque partes cum in Academicis, tum in theatralibus actionibus obtinere Dum Conclavi, qui *Camerata de i fratelli* di-

cebatur, propterea quod ex fratribus ferme unice constaret, una cum utroque fratre meo adscriptus forem (nam & Joannes tertius natu Brixiam trajectus fuerat) memini ejusdem Conclavis sociis inserviendis addictum famulum, cui nomen Carolo Camplano, quoniam me assidue librum aliquem manu gerentem, seu quidpiam ex ipso memoriter recitantem conspiceret, dum etiam reliqui Sodales hilariter colluderent, semel iterumque me interrogasse, num in animum forte induxissem Clericalem vitam amplecti, & Brixiano Episcopatu quandoque potiri. Hunc ipsum famulum, ut primo Brixiam quadraginta circiter post annos Antistes accessi, superstitem ibidem inveni, ingressumque ad me, & in lacrymas statim effusum ex sui illius vaticinii memoria, benevole, ut par erat, excepi, aliqua pecuniæ summa donavi, &, quandoquidem Hebdomada Major imminebat, locum ei tribui præcepi inter Apostolos, quorum pedes feria quinta ejusdem Hebdomadæ juxta sacrum diei illius ritum abluerem.

Magistros habui in Schola Humanitatis Patres Veggium, & Maffæum; in Schola vero Rhetoricæ Patres Urbanum, & Grisentum. Adhuc in vivis degit postremus iste Ferrariensi in Collegio, magnæque mihi voluptati esse solet, dum per Urbem illam seu Romam adeundo, seu inde remeando pertranseo, cum ipso colloqui, captumque hac etiam ætate memet eidem exhibe-

hibere politioris literaturæ studio illo, quo mirum in modum eo doctore delectabar. Plura ille commemorare identidem gestit mea seu dicta, seu scripta, dum inter ejus discipulos censerer; at nihil frequentius, quam animadversam a me, ipsique præpropere & festive narratam turpem hallucinationem Viri cujusdam gravis, cui minime ferendum videbatur, quod a Sidronio Hosschio (nova hujus Carminum editio Brixiæ suscepta tunc fuerat ad usum Scholarum, mihique ab ipso Patre Grisento demandata provincia typographicos nævos expungendi) in Operis sui Præfatione Hadrianus VI. P. M. Poetis iniquior fuisse proderetur, quæ verba Vir ille ex magistratu, quem gerebat, verendus ejusdem Operis censor, ita accipi debere existimaverat, perinde ac si sanctissimum illum Pontificem, non Poetis aliquantulum infensum, sed ipsos nequitia superasse designarent.

Philosophiam mihi tradidit P. Lancelotus, & ipse in præsens superstes, & bene recordor, inter Theses, quas, eo præside, publico examini subjeci, hasce fuisse, *Utrum homo in actuali prædicatione retineat universalitatem*: *Utrum Propositio possit transire de vera in falsam*. Mirari autem modo mihi subit, qui fieri potuerit, adeo ingentibus plausibus meam illam actionem exceptam fuisse, ut tanquam admirandi ingenii exemplum condiscipulis meis proponi

mereretur; namque ingenue fatebor fastidium mihi creasse exercitam pro eorum temporum more subtilitatem, quum in argumentis longe utilioribus occupari posse arbitrarer.

Linguæ etiam Gallicæ addiscendæ cupiditas me cepit, & in ea breviter ita profecisse Magistro meo visus sum, ut idoneum me censuerit, qui Historiam Varillasii de prisca Religione a Sectariis ex nefariis causis immutata, in Italicum idioma ex tempore converterem, & alta voce perlegerem, dum Sodales publicæ mensæ discumberent, quod præsertim contigit Autumnalium Vacationum intervallo in Villa *S. Stephani* nuncupata.

Dum adeo vivide in studia literarum incumberem, Patres Societatis, quantum mihi quidem persuadere poteram, nihil intentatum omittebant, ut me ad propositum sancti sui Instituti capessendi allicerent, atque pertraherent. Accidit semel (unum tantum ex iis conatibus referam) ut in adeundis Scholis, quæ in Ædibus Collegii B. Mariæ, *Gratiarum* nuncupatæ, habebantur, lubrica quædam saxa transcendens, subter quæ rivulus aquarum defluebat, imprudens deciderim in easdem aquas, meque iisdem haud omnino leviter aspersum opus fuerit illico ad S. Antonii Ædes reduci, & igni, qui in cubiculo prope earundem januam ardebat (erat enim hyemalis tempestas) pro exsiccandis vestibus admoveri. Eidem assiden-

tes

tes nactus sum tres primarios Collegii Patres, videlicet Terisengum Superiorem, Bevilaquam Ministrum, Lupum Confessarium, qui me viso, & rem, ut evenerat, intellecta, ocius veluti ex condicto exclamarunt, eventum illum cœlitus fuisse decretum, ut scilicet ejus occasione, clarius quam unquam antea, uno ipsi ore divinam voluntatem de S. Ignatii Instituto absque ulla mora amplectendo mihi significarent; quemadmodum enim fortuito acciderat inopinatus meus ille ad Ædes S. Antonii reditus, ita ajebant ipsi miro prorsus modo contigisse, ut eosdem in eo cubiculo junctos deprehenderem, nam ea hora singuli ex munerum suorum ratione alibi adesse cogebantur. Fateor, tenerum me omnino adolescentulum ad voces illas propheticum quendam sermonem resonantes totum exhorruisse, nec modo etiam satis intelligere, quo pacto e cubiculo illo egredi valuerim, quin volens, libensque pollicerer, quod a me divino, ut credere par erat, afflatu postulabatur. Abstinui tamen ab omni pollicitatione, eoque momento ita dextre me gessi, perinde ac si artificio simulationis, a qua tunc quoque valde abhorrebam, natura me erudisset. Excepi igitur pronis adeo auribus triumvirale illud oraculum, ut Patres pro re certa habuerint, haud in irritum cessura quæcumque ad animum meum oppugnandum commoliti fuerant. Unde autem factum sit, eorundem votis

eventum non respondisse, statim eloquar. Jesuiticæ familiæ disciplina non omnino idonea mihi visa est excolendis studiis, quæ efflictim adamabam, quippe quæ tam multis, & inter se discordibus muneribus, ac curis alumnos suos implicare in more habet, ut longe absint plerumque ab eo otio perfruendo, quo si careas, literis quidem vacare pro parte possis, non vero iisdem penitus devoveri, quod mihi ut aliquando eveniret peroptassem summopere. Cœlestis monitus historiam, quam jam descripsi, haud raro ansam capio Brixianis hisce Patribus sine fuco (ut meus est mos) enarrandi, idque ante aliquot annos semel præstiti in eo ipso, quod memoravi, cubiculo, quo, post celebratam Missam in Ecclesia S. Antonii die ipsi sacro, me iidem Patres deduxerant, ut paululum ad ignem calefierem. Æque ingenue ipsis testatus sum (quod nunquam facere desinam) me Collegio S. Antonii acceptum referre quidquid literarum, quidquid Christianæ pietatis in me est, quin & propositum ipsum Claustrali militiæ nomen dandi, de qua re statim dicam.

An. *1696.* mense Octobri quum ad invisendos Parentes, ego, & fratres simul (quod singulis annis fieri solebat) profecti, dies aliquot una cum ipsis transigeremus in agri Tarvisini Villa, Deo volente factum est, ut iisdem desiderium, quo tenebar, Monasticæ vitæ arripiendæ, & quidem inter Benedictinos Congregatio-

tionis Casinensis aperirem. Erga istos ut propensus animus meus foret, quamplures in causa fuisse putarunt exemplum Fortunati Mauroceni, Consobrini mei; nam hic ante paucos annos ad eandem vitam amplexandam Venetiis Ravennam advolaverat. At ipse nihil eo tempore de facto illo rescieram. Quoniam vero ad S. Antonii Collegium, ut Thesibus nostris interesset, frequens adventare solebat P. Montinus Philosophiæ in Benedictino Cœnobio S. Euphemiæ Professor, ipsi vero vicissim ad eum salutandum Ædes S. Euphemiæ petebamus, hæc ipsa consuetudo effecit, ut vivendi genus, quod inter Cœnobitas Euphemianos vigere observabam, animo meo quam maxime arrideret, ceu oportunissimum ei, qui se totum in literarum studia conferre percuperet.

Ut primum vero Parentibus mea illa voluntas innotuit, vix credi potest quam graviter eo nuncio perculsi fuerint, aufugeritque proinde suavis, qua fruebamur, rusticationis jucunditas omnis, & mirum quot illi machinas adhibuerint, ut me de proposito dejicerent. In eo tamen immotus perstiti duræ silicis instar ex divino beneficio, nunquam a me recolendo, quin toto corde, totis viribus immensæ illi misericordiæ, quæ me e Sæculi procellis ad Religionis portum traduxit, summas referam gratias. Itaque dum nihil mecum proficere seu precibus, seu lacrymis, seu variis

etiam artibus Parentes intelligunt, necessarium putarunt rem cum pluribus Consanguineis communicare, horumque auxilium deposcere. Ad eam rem Pater huc illucque, Venetias præsertim, cursitavit. Memini conventum me fuisse inter cæteros a præstantissimo, & disertissimo Senatore, uno ex primariis Decemviralis Consilii Patribus, Ascanio Justiniano Avunculo meo, & quantum in ipsius eloquentia roboris erat totum ab eo explicatum fuisse, quo susceptam voluntatem deponerem. At frustra. Frustra etiam id ipsum conati sunt Viri Claustrales insignis pietatis & inter cæteros Carmelita Excalceatus vitæ sanctitate percelebris. Horum dicta eo liberius retundebam, quod ista ab eorum Instituto dissentire mihi viderentur; parique libertate, imo cum quadam acrimonia, amitæ meæ, Monasticam vitam agentis in Cœnobio Angelorum Muriani, literis respondi. Tandem ad fraudes ventum est, initumque inter Parentes, & reliquos consilium fuit, ut me votorum meorum compotem quam cito evasurum pollicerentur; at una simul affirmarent, opus esse, ut Villa relicta Venetias una omnes concederemus, quo commodius cuncta componerentur ad rem perficiendam necessaria. Quis crederet puerulum sexdecim annos natum, quot eo tempore numerabam, illico dolum, qui in eo consilio latebat, persensisse? Persensi igitur eorundem men-

mentem efse, ut delatus ad eam Urbem (nunquam a me revifam, poftquam feptennis ipfam reliquiffem) vitæ genus deguftarem admodum difpar ab eo, quo ufus ætatulam meam Brixiæ tranfegeram, indeque Clauftri ingrediendi cogitationem omnem longius amandarem. Rem itaque, ut certe erat, fufpicatus, Genitori, etfi in fpeciem æqua depofceret, libere, ne dicam audacter, fignificavi, ftatutum mihi effe, pedem ex ea Villa haudquaquam movere, quin recta ad Ædes Cafinenfium convolarem, efflagitavique ab eodem, ut mora omni fublata propofitum meum Patribus S. Georgii Venetiarum declararet. Adactus in hunc modum ipfe Genitor eofdem adire, remque totam cum ipfis communicare, ut primo eos alloquutus eft, ex infperato percepit, quod meo illi propofito amoliendo opportunum fummopere foret. Intellexit nimirum, facultatem Novitios recipiendi fubtractam recens Benedictinis in Italia Cœnobiis, pluribufque aliis, fuiffe, donec præfcriptas ab Innocentio XII. feverioris difciplinæ regulas admitterent, idque inter Benedictina præftitiffe dumtaxat Florentinum, & Cefenatenfe. Lætus, & ovans ad nos reverfus eft Genitor, quod certo putaret, alienum ab animo meo fore, extra Venetæ ditionis fines Monachatum profiteri. At brevi delufum fe agnovit, nam ejus rei novitate mihi nunciata nihil cunctatus, aditurum

me

me ergo Florentiam respondi, Patremque quo enixius potui rogavi, ut illico itineri necessaria appararentur. Sua ille spe ægre admodum dejectus, rursus sermonem movit de Veneta Urbe a me adeunda, quod ita omnino postularet longi itineris ratio, figendumque in extera regione domicilium. Contra ego pugnacius quam antea sententiam meam defendi; adeo ut Avunculus, cujus antea mentionem feci, indignatione quadam correptus exclamaverit, Putas ne, nullam adeo a nobis dignitatis nostræ habendam esse rationem, ut Florentiam perinde transmittaris, ac mitti solent pomorum canistra, solis videlicet eorum, quibus destinantur, nominibus superiori parte descriptis? Tandem post tot discrimina rerum factum fuit, ut, divina opitulante gratia, votis potirer. Advenit ergo ad rusticationis locum rheda, qua vehendus forem, in quam, osculatus primo Parentum manus, deinde fratres amplexatus, salutatisque quotquot aderant consanguineis, ea hilaritate insilui, ut parta jam victoria mihi viderer triumphalem currum conscendere. Itineris comes, & moderator datus mihi fuit Pater Columbus, Ordinis Servorum Beatæ Mariæ, Vir admodum solers, & prudens, Parentibus meis, Genitori præsertim, jamdiu perfamiliaris.

Mense Novembri Florentiam perveni, utque in Benedictinum Cœnobium pedem intuli,

tuli, vix dicere valeo quali, & quanta voluptate perfusus sim, ea etiam de causa, quod Monachos illos, meos quam primum Sodales futuros, ex adventu meo exultare, eorundem vultus, verba, & actus mihi apertissime commonstrarunt. Breve quod supererat ejus anni spatium inter ipsos transegi indutus de more vestibus saecularibus; eoque tempore pluribus ejus Urbis Procerum officiis honestatus sum, inprimis vero Marchionis Francisci Riccardi, commendatitiis Equitis Jo. Francisci Mauroceni literis de meo Florentiam accessu praemoniti. Is ipse copiam mihi fecit Cosimum III. Magnum Etruriae Ducem, aliosque Regiae familiae Principes, fratrem nimirum ejusdem Franciscum Mariam Cardinalem, binosque natos Ferdinandum, & Joannem Gastonem, salutandi. Humanissime, & valde honorifice pro more, quem erga Venetos omnes Patritios ea Aula servare solebat, cuncti me exceperunt, praesertim Cosimus, qui semel, iterumque meos in amplexus ruens, de capto a me sancto consilio plura proloquutus est, digna prorsus Christiana ea pietate, quam egregie colebat; quique mihi idem consilium gratulatus, beatum me dixit, qui ad portum aeternae salutis coelitus vocatus fuissem, dum ipse humanae vitae procellis jactatus altum teneret. Toto eo tempore, quo Florentiae permansi, nullum mihi humanitatis officium defuit a benignissimo eo Prin-

Principe. Die poſtremo anni a D. Thoma Morando, Peruſino, loci Abbate ſchema Monaſticum excepi, impoſitumque mihi fuit Angeli Mariæ nomen, quod ipſe ſelegeram Angeli Grilli illuſtris Abbatis Caſinenſis cauſa, nam amplum Italicarum ejus Epiſtolarum Volumen, dum in Collegio S. Antonii degerem, frequenter verſare mihi perlibuerat, earundemque ſalibus magnopere juvenile meum ingenium gaudebat. Ut primo ſacris illis veſtibus obtectum me vidi, multo illas pretioſiores exiſtimavi Veneta purpura, qua Pater, & Patruus, ut ſuperius dixi, ornati incedebant, eademque mihi ſententia fuit, dum eam ipſam viginti poſt annos bini mei fratres induerunt. Honoris itaque poſtremis hiſce collati nuncio accepto, gratulationis officium non aliis verbis, quam Hexaſticho iſto perſolvi.

Dum Veneto aſpicio rutilantem murice Patrem,
Dumque pari renitet Frater uterque toga,
Dumque triumphalis reſonant ſpectacula pompa,
Et geminat plauſus Hadria læta ſuos,
Haud equidem invideo, haud tumeo minus, ipſa Caſi-(ni
Vellera ſunt oculis ambitioſa meis.

Hexaſtichon hoc Benedicto XIII., antequam me ad Cardinalatum eveheret, recitandi occaſionem nactus quum fuiſſem, vix credi poteſt quanta cum voluptate illud exceperit, quod æque gloriaretur ſanctiſſimus ille Pontifex Dominicanis velleribus, ad quæ ſumenda divino prorſus

af-

afflatus spiritu Venetias advolaverat. Hic mihi, seu privatim, seu publice ipsi occurrerem, verba illa, *haud tumeo minus*, haud raro ingeminabat.

An. 1697. Probationis tempus Monasticis legibus statutum peregi. Quinque habui Sodales, & inter ipsos D. Virginium Valsechum, & D. Stephanum Trenta præclaros Pisani Athenæi Professores. Magister nobis obtigit D. Jo. Baptista Ormannus. Hic Biblenam in Etruria patriam habebat, ac proinde sæpissime conterraneum suum Bernardum Divitium Cardinalem, Leonis X. valde familiarem, nobis memorabat, & magnis laudibus extollebat. Statim vero ac Ormanni curæ traditus fui, ut tyrocinium auspicarer, meamque erga literas propensionem iste deprehendit, singulari inde lætitia ad conveniendum Patrem Petrum Benedictum, ortu Damascenum, Religione Maronitam, omnibusque doctrinis, Orientalibus præsertim, excultissimum, festine (nam in eodem Monasterio hospes morabatur) perrexit, petiitque ab eo, ut nulla interposita mora Novitiatus locum ascenderet, & mecum colloqueretur, ingenii mei experimentum facturus. Morem ille gessit, & post multos inter nos sermones ultro, citroque habitos, quibus præsens adfuit Magister, ab hujus judicio quam valde ipse dissentiret, libere exposuit. In eam deductus erat opinionem Magister, ut, statim ac Scientias, quas Speculativas vocant, percurrissem, ad Evan-

Evangelici Oratoris munus obeundum destinarer, cui aptum admodum futurum conjecerat ingenium meum ex ea alacritate, vocisque concitatione, qua me seu nonnulla memoriæ olim mandata recitantem, seu typis excusas P. Vieira Conciones, quas in Italicum idioma conversas Bibliotheca Novitiatus servabat, alta pariter voce perlegentem audierat. Dictum boni Senis, cui multo graviora, & optima studia nec de nomine comperta esse videbantur, risu quodam excepit P. Benedictus, & statim subdidit, post Scientias illas Speculativas emensas superesse adhuc vastum sacræ, & prophanæ eruditionis pelagus, cui tranando ingenium meum instrui omnino expediebat. Subsequutæ sunt primum hunc congressum quotidianæ ferme P. Benedicti ad me aditiones, indeque feliciter mihi contigit, vel primis ipsis Monastici mei tyrocinii diebus disciplinis illis initiari, quas reliquo vitæ tempore nunquam omisi diligentissime pro modulo meo excolere. Feliciter etiam haud mediocriter cessit, quod sub ea studiorum illorum initia Pater Gerardus Capassius, Magister ex Ordine Servorum B. M., publicus in Pisana Academia Theologiæ Doctor, ad me bis terque singulis hebdomadis invisendum accederet, quoniam enixe eidem a P. Columbo superius memorato commendatus fuissem. Suis ille in alloquiis nihil reliqui faciebat, ut magis, magisque animum meum

meum ad ea ſtudia literarum, quæ capeſſere jam cœperam, inflammaret, nec ſuis tantum monitis currenti mihi calcaria addidit, ſed optimos quoſque libros, quorum magnam ſibi copiam paraverat, liberaliter meis illis ſtudiis ſuppeditare nunquam recuſavit. At dum impigre iiſdem ſtudiis vacarem, una ſimul gerendus mihi fuit mos Patri Magiſtro, cui conſultum viſum eſt, ſi in Philoſophicis etiam verſatum me eſſe publico aliquo experimento comprobarem. Theſes igitur ejus generis, paucis menſibus poſt exactum annum Probationis, præſide D. Mauro Gualterio, publicæ diſputationi expoſui, ſub auſpiciis Thomæ Morandi, loci Abbatis, diſputaruntque ad eaſdem tres doctiſſimi Viri P. Benedictus, de quo facta eſt mentio, P. Guido Grandius Monachus Camaldulenſis, & P. Cajetanus Meratus, Clericus Regularis.

Ardor iſte, quo in literas ferebar, nihil obfuit, Deo clementiſſime juvante, quin munia quævis Novitiis ex Benedictinæ Regulæ ſanctionibus præſcripta ſedulo obirem; qua de re ſummopere lætabatur P. Magiſter, eoque magis, quod arcana omnia conſcientiæ meæ pernoſcens ſibi perſuaderet, eam ſedulitatem ex ſincero vitæ, quam ſectari decreviſſem, amore proficiſci. Accidit autem, ut, quum Vir quidam primariæ apud Florentinos nobilitatis me conveniſset (neſcioquo pacto) ſuſpicionem induxerit de oborta mihi prioris illius

illius propositi pœnitentia, illamque alicui ex meis Consanguineis, cui conjunctus erat amicitia, per literas aperuerit. Novitatis hujusce certior effectus Genitor meus, non petendam dumtaxat, sed efflagitandam ejusdem Viri operam censuit, rogavitque eundem, ut, nisi ipsi certo constaret de firma mea Religionem profitendi voluntate, indubiam fidem mihi faceret, ipsi Genitori, cunctisque e familia mea reditum meum ad sæculares vestes acceptissimum fore. Rursus igitur ad me invisendum accessit ille, nec satis ipsi fuit meam de retinendo pristino proposito mentem explorare, at valide etiam ab eodem me dimovere conatus est. Tempus tamen, & operam perdidit, adactusque proinde fuit agnoscere, & fateri turpem, qua antea deceptus fuerat, hallucinationem. Erat ipse ex familia Comitum de Pecoris, magnaque in Patria sua florebat existimatione.

Anno 1698. die primo Januarii Regularem Professionem solemniter emisi, permansique postea, ut moris est apud Benedictinos, in eodem tyrocinii domicilio per aliquod tempus, scilicet per duos adhuc annos cum dimidio; tuncque facta mihi fuit facultas, imo additus stimulus liberius, & intentius quam antea literarum studiis vacandi. Accidit enim, ut novus Abbas regimini Monasterii destinatus, Angelus Nincius, nihil antiquius habere videretur,

tur, quam ut in iisdem magis, magisque proficerem. Gesserat ille paulo ante Romæ in Monasterio S. Pauli extra muros officium Præpositi, testisque ibidem fuerat, quanto in honore apud omnes foret singularis eruditio cum Patris Abbatis Jo. Baptistæ de Miro, Vaticanæ Bibliothecæ Custodis, tum Patris Prioris Benedicti Bachini, qui eo ipso tempore ad Almam Urbem advenerat, ut Agnelli Ravennatis librum, quem edendum in publicam lucem susceperat, ab omni censura vindicaret. Suscepta igitur Florentinæ Abbatiæ administratione Nincius omni illico ope promovere in eadem contendit optimorum studiorum rationem illam, quam in doctis illis Viris Romam magnopere miratam fuisse conspexerat. Quare D. Alphonsum de Mariconda ad edocendam Theologiam Neapoli accersivit, Virum acerrimi ingenii, exquisitæque doctrinæ, Professorem postea publicum in Liceo Neapolitano, deinde Triventinum Antistitem, ac tandem Acheruntinum Archiepiscopum. Hujus disciplinæ concreditus divinæ illius Scientiæ stadium transmisi; eundemque Sacros mihi Canones simul prælegentem audivi. In utraque facultate publica specimina suis temporibus exhibui. Interea tamen quotidianam cum P. Benedicto consuetudinem haudquaquam intermisi, imo eo auctore, & magistro ediscendæ Græcæ, Hebraicæque linguæ me dedidi, iisque nocturnas aliquot horas im-

dendere consueveram, diurnas enim frequentandæ una cum Sociis statis temporibus Scholæ vindicabant. Advenit eo tempore Florentiam P.Fortunatus Maurocenus, cujus supra memini, & paulo post Michael Eques Maurocenus ejus frater, animo ambo, quod ipsi quidem profitebantur, consobrinum nec de facie notum inviserent. Uterque de Venetiis a me adeundis, figendaque sede in Monasterio seu S. Georgii Majoris ejus Urbis, seu S. Justinæ Patavii, verba fecit, quæ surdis ipse auribus excepi, propterea quod mihi maximopere cordi foret iis frui adjumentis, quæ bona sors largiter Florentiæ objiciebat explendæ literariæ, qua flagrabam, cupiditati. Quoties mente revolvo mihi, dum nil tale cogitarem, evenisse, ut Florentiæ potius, quam in aliquo ex binis illis Cœnobiis militiam Benedictinam amplecterer, toties hac ipsa in re maximam Dei Optimi erga me beneficentiam agnosco. Qui enim fieri potuisset, ut *cereus in vitium flecti* Venetiis, seu Patavii agens, & consanguineorum assidua consuetudine implicatus, seriam operam in literis collocarem? Ferme dixerim, tot instrumenta mihi adolescenti ad easdem adipiscendas Florentiam parasse, quot impedimenta attulisset domicilium seu in patria fixum, seu eidem proximum.

CA-

CAPUT II.

Ab anno MDCC. *usque ad annum* MDCCX.

ANno 1700. ex Ephebis, ſeu ex Conclavi Novitiorum exceſſi, ſtatimque inſignis oblata mihi eſt opportunitas ardorem, quo erga literas inflammabar, exerendi, atque una ſimul etiam adaugendi. Florentiam ſiquidem petiit eo anno deſinente D. Bernardus Montfauconius, magnum jam ipſarum literarum lumen, hoſpitatuſque eſt duorum menſium ſpatio in noſtra Abbatia. Haud mentiar, ſi dixerim, me toto eo tempore ab ejus latere vix, aut ne vix quidem diſceſſiſſe, mirum in modum delectatus lectiſſima, & uberrima eruditione, qua ſermones ille ſuos omnes condiebat. Inter cætera memini, multa eundem mihi retuliſſe de Therapeutarum Chriſtianiſmo a ſe propugnato, de quarto Græcorum AnalectorumTomo, quem curaverat, de Hiſtoria Judith adverſus Grotium, & alios vindicata, de Vindiciis Editionis Operum S. Auguſtini a San-Germanenſibus ſuis adornatæ, tandemque, ut alia omittam, de vulgatis nuperrime a ſe ipſo S. Athanaſii Operibus. Placuit præterea Maricondæ Præceptori meo, ut coram tanto Viro Theologicam intra Bibliothecæ cancellos diſputationem inirem, in qua de divina Gratia juxta Auguſtini, & Thomæ mentem ageretur. Rem gratam habuit Montfauconius; non tamen ab ipſo impetravimus,

ut ad argumentum illud magis illustrandum in medium aliquid de suo proferret, modesteque flagitationibus nostris respondit, se illuc venisse, ut disceret, non vero ut disputaret. Quoniam autem frequentes ad eundem confluebant quotquot Florentiæ erant literarum fama illustres, & in primis Salvinus, Magliabechius, Bonarotius, ex horum quoque cum ipso colloquiis, quibus ipse intereram, præstantissimæ literaturæ, unde illa profluebant, vehementiorem in præcordiis meis amorem excitari persensi. Vires iste deinde quotidie, ut ita dicam, accepit toto illo decennio, quo Florentiæ permansi. Nulla enim ferme lux elabebatur, quin aliquem ex ipsis inviserem, pluresque horas cum iisdem contererem. Innumera prorsus commemorare possem ex ea consuetudine studiis meis importata emolumenta. Salvinus frequenter ad me ventitare dignabatur, præsertim ut Græcorum Poetarum carmina, quæ Italico metro donaverat, perlegenda mihi traderet; eruditas Antiquitates a se investigatas, & explanatas Bonarotius oculis meis valde libenter subjiciebat; Magliabechius, exteros quosvis literatos ad se divertentes deducere solitus ad invisendas Urbis Bibliothecas, ut primo Monasterium, in quo morabar, ingrederetur, mei mentionem apud eosdem faciebat, meumque deinde una cum ipsis cubiculum adibat, gestiens ille maximopere, quod me libris stipa-

tum

tum offenderent Viri illi literati. Inter Miscellanea Henrici Nevvtonii, Britannici eo tempore ad Cosmum III. Ablegati, extat Epistola ad Magliabechium data, qua eidem in memoriam revocat Quirinum ipso socio *inter libros conventum, propriis aliquando suique ingenii fœtibus augendos*. Processu temporis haud minus arcta, quam cum Triumviris illis, me devinxit consuetudo cum Laurentio Magalotto, eamque abunde declarant, si cætera testimonia deessent, Scientificæ ejus literæ in lucem emissæ, inter quas tres ad me exaratæ comparent. Unas ex istis occasionem habui memorandi, quin magna ex parte recitandi binis circiter ab hinc annis in Epistola, quam conscripsi ad celebrem Gallum Poetam. Sequestrum se præbuit amicitiæ huic conciliandæ P. Benedictus, idemque curavit, ut haud disparem mecum conjungerent bini doctissimi & celeberrimi Medicæ Artis Antistites Papus, & Belinus, aliique plures Viri eruditi; at nemini tamen conjunctior vixi, quam ipsi Benedicto, in quo si dixero me collecta reperisse, quæ divisa alios divites efficerent, vera me loquutum fuisse arbitrabor.

Anno 1702. Perusiam, dum ibi Comitia totius Congregationis Casinensis haberentur, accessi, Theologicas Theses in eo Præsulum conventu propugnare jussus, idque præstiti absque Præceptoris mei Maricondæ præsidio, seu, ut vocatur, assistentia. Tanta me tenuit

 (quod

(quod valde nunc miror) ea occasione ingenii mei fiducia, ut eundem Præceptorem propius ad Cathedram quandoque apparentem, mihique aliqua in aures insusurrantem, quibus ego rebar me non indigere, objurgare quodammodo ceperim, nec trepidaverim multis audientibus ei dicere, ut, quoniam iis immurmurationibus gloriam disputationis absque Lectoris præsidio habitæ extenuare conabatur, non igitur clanculum adreperet, sed propalam ad Cathedræ latus, uti moris est in reliquis hujusmodi Actionibus, assideret. At vero dolui deinde vehementer disputationis æstum e labiis meis verba illa extraxisse. Æstu illo incandescendi causam mihi præbuerat Thesis adversus Scientiam Mediam valide a me propugnata, contradicente Patre Ayroldo egregio Societatis Jesu Theologo. Memini, hunc longo verborum apparatu, antequam eandem impetere aggrederetur, prolusisse primum, ac tandem a me postulasse, Quænam foret ea Scientia Media, quam ego rejiciebam; meque ne momento quidem temporis hæsitantem animose respondisse, Ea ipsa, quam Patres Societis Jesu tuentur, & docent. Subitum, & ardens dictum istud ingenti plausu excepit Consessus universus, at nemo magis Abbate Lazarino, & Patre Burgosio, qui pariter Actioni illi intererant, quique adeo ejusdem dicti memoriam servarunt, ut mihi, aliisque quamplu-

ribus

ribus ipsum subinde refricare,non Perusiæ dumtaxat, sed alibi etiam consueti fuerint. Munus Auditoris, ut vocant,Rotæ gerebat eo tempore in urbe illa Lazarinus, Professoris vero inter suos Franciscanos Burgosius. Ambo post aliquot annos Patavini Athenæi Cathedram sunt assequuti, ex qua deinde Burgosius ad Catanensem Episcopatum ascendit. Quod par illud doctorum Virorum Perusiæ nactus fuerim, quodque ad familiares eorundem sermones admissus multa e Burgosio præcepta hauserim de saniori Theologia sectanda, e Lazarino autem de politiori literatura excolenda, magno me in lucro deputasse confiteor; at pluris etiam feci, quod ibidem nosse mihi datum fuerit Patrem Abbatem de Miro, crebroque cum ipso colloqui, & insuper ab eodem adhiberi ad conficiendum Indicem Manuscriptorum Græcorum Monasterii S. Petri, in quo degebamus. Ad eum ipsum doctissimum Præsulem Florentia unam, & alteram Epistolam dare sum ausus Græco idiomate conscriptam, Salvino consulente, atque opem ferente, quibus ille eadem lingua adeo plene, & nitide respondit, ut in ea prorsus excellere facile dignosceretur.

Redii autem ad eam urbem, ex tradito mihi diplomate a generali Definitorio, Lectoris munere auctus, idque exordiri mihi contigit a tradenda Theologia, interpretandisque una simul Sacrorum Canonum sanctionibus. Priva-

tis tamen ſtudiis incumbere non deſtiti, inter quæ locum etiam invenerunt Euclidis Elementa. Extat mea in Bibliotheca horum Volumen, ubi quot folia impreſſa, totidem alba eo tempore per induſtriam meam compacta viſuntur, atque in alteris hiſce novæ quædam Euclidis Propoſitionum Demonſtrationes, ad Algorithmi ſcilicet leges exactæ, meoque calamo deſcriptæ comparent. Ad manus tunc habebam, ut Mathematicen primoribus ſaltem labiis deguſtarem, librum Patris Lamy *De la grandeur en general* inſcriptum, ex eoque volupe mihi erat plura decerpere, quæ viam præbere mihi videbantur, expeditius demonſtrandas Euclideas Propoſitiones, quam factum fuiſſet a celeberrimo iſto Geometrarum Principe. Quare alba ea folia literulis quibuſdam juxta Algebræ methodum diſtinxi, quas nimirum ex ſe ſolis idoneas putavi eam ipſam parere Demonſtrationem, quam prolixiori verborum circuitu Euclides in medium attulerat. Dum ſtudio illi ferventius vacarem, incidi in Propoſitionem 21. libri VII. Euclidis, eamque haudquaquam contentus nova ea methodo comprobare, eo prætterea audaciæ proceſſi, ut traditam ab Euclide ejus Propoſitionis Demonſtrationem ceu mancam, & imperfectam redarguerim. Juvenili meo ingenio adeo præclarum viſum eſt facinus iſtud, ut Epiſtola data ad præſtantiſſimum Mathematicum Florentiæ tunc agentem, Guidonem Gran-

Grandium, ipsum quodammodo provocaverim ad tuendas Euclidis sui partes, quod tamen fieri posse pernegabam. Rem istam testatur ejusdem Grandii responsum ante decem, & amplius annos in hac Urbe impressum curante P. Fortunato a Brixia Min. Ref. doctrinarum hujuscemodi peritissimo, qui causam meam fovere humaniter suscepit eo libello, quo in medium protulit Animadversiones meas in memoratam illam Propositionem, & insuper Demonstrationum Algebricarum specimen depromptum ex Euclidis Elementorum exemplari, quod ad id operis artificiose compingendum curaveram, ut jam indicavi. At P. Grandius responso illo suo commendavit quidem amorem, quem erga Mathematicas facultates conceperam, monuit tamen una simul, ut Euclidi earundem Principi laudem illam relinquerem, qua per tot sæcula apud omnes Mathematicos Scriptores constantissime fruebatur, *quod scilicet absque omni penitus erroris, seu paralogismi nota Elementa sua conscripserit*. Datæ visuntur eæ Grandii literæ VIII. Kal. Octobr. anni, ad quem statim transitum facio.

Anno 1704. Venetias, ut tandem Parentum, aliorumque Consanguineorum assiduis efflagitationibus obsequerer, commeare decrevi, idque Autumnalium vacationum intervallo. Quum eo appulissem mense Octobri, moram trahere opportunum duxi potius in Cænobio S. Geor-

Georgii Majoris, quam in ædibus paternis, ad quas tamen quotidie accedebam, prandii præsertim sub horam. Etsi autem ab omnibus, sive sanguine, sive Monachatu mecum conjunctis nullum mihi defuerit per binos menses, quos in Patria traduxi, incitamenti genus, ut ad Venetum domicilium Florentino præferendum adducerer, cunctas tamen hujuscemodi illecebras, & blanditias veluti Sirenum scopulos effugi, quod animo meo diu, noctuque repeterem studiorum, quæ meum istud iter abruperat, suavitatem. Eorundem amor effecit, ut aditum mihi pararem ad invisendum, alloquendumque Meletium Tipaldum, Archiepiscopum Philadelphiæ, qui Venetiis Græcorum Ecclesiæ S. Georgio dicatæ eo tempore præerat. Ubertim is mihi enarravit graves illas controversias, quæ inter ipsum, & gentem suam ad sacra convenientem intercedebant, quoniam in iis mentionem Patriarchæ Constantinopolitani supprimere nitebatur, quo suam cum Romano Pontifice communionem apertius testaretur. Is ipse est, de quo ad Cardinalatum evehendo Clementem XI. serio cogitasse, certam mihi fidem fecit, dum Romæ agerem, Cardinalis Vallemanus, referens, se, quo tempore Apostolici Palatii Præfecti munus obibat, ex ipsiusmet Pontificis ore accepisse, Ipsum semel, iterumque sacri Consilii Conclave intrasse animo Cardinalem renuntian-

tiandi Tipaldum Græcum Metropolitam, abſtinuiſſe tamen ab eo delectu, vi quadam interna propoſito iſti obſiſtente, coercitum. Ferebatur, ad eundem delectum diſturbandum, cœlum, & terram, ut ita dicam, moviſſe Nicolaus Papadopolus, Patavini Athenæi Profeſſor, ſpe illectus, dejecto Meletio, ſibi uni obtingere poſſe Romanam Purpuram homini Græcæ nationis a Clemente XI. deſtinatam. Tipaldo, ut primo Florentiam redii, Græcanico ſermone literas conſcripſi, quibus ipſum interpellavi de ſacrorum Bibliorum Canone, qui apud Græcos ea tempeſtate obtineret; meminique eundem reſponſo ſuo non ita ac optabam quæſtioni meæ ſatisfeciſſe.

An. 1705. Evoluto brevi eo ſpatio, quod, ut dixi, Venetæ commorationi tribuere ſtatueram, Florentiam reviſi, ſtatimque ſtudiis de more animum appuli, gerens me pro doctore in Scholis, in quibus Prælectiones habebam, pro diſcipulo autem intra cubiculum, ſeu Muſeum, quoties officioſe ad me accederent literati Viri, quos ſuperius nominavi. Quod autem ex eorum numero minime eſſet amplius P. Benedictus, quippe qui defunctus jam eo munere, cujus cauſa Florentiam Roma eundem Coſimus III. accerſiverat (Orientalium nimirum characterum formas, quibus Typographia Medicea abundaret, ordinandi) Piſana Cathedra recens donatus fuerat

rat ab eodem Principe, Pisas adeundi cupiditas me cepit, biduumque, aut triduum in ea urbe morandi. Jucundam admodum mihi eam mansionem fecerunt Viri illius in primis, pariterque P. Grandii, fratrumque Averaniorum, Benedicti nimirum, & Josephi, colloquia, quibus ut perfrui possem omnibus ferme diei horis, hominum eorundem eximia erga me benevolentia facile indulgebat. Benigne in eo itinere, & Pisis quoque mihi adesse dignatus est D. Angelus Nincius Monasterii Florentini Abbas, qui toto sui illius regiminis tempore studiis meis mirum in modum favere nunquam destitit.

An. 1706. Nincius Præsul jam jam memoratus, qui post absolutam Florentini regiminis periodum ad supremam Congregationis Casinensis Præfecturam fuerat evectus, atque una simul Cæsenatense S. Mariæ in Monte Cœnobium gubernandum an. 1705. acceperat, quum in hoc quoque, pro suo erga bonas literas amore, earundem bono consulere quam vehementer anniteretur, eo loci me advocare constituit. Putavit ille, pro ea, quam de me fovebat, opinione, proposito suo satisfactum iri, si domicilium in eodem Cœnobio figerem per duos, aut tres menses. Finem eo tempore jam imposueram tradendæ Theologiæ, sacrisque Canonibus interpretandis, manebatque me cura conscribendarum in Sac. Scripturam Prælectionum. Munus istam explicandi tunc primum Florentina in Abbatia

batia fuerat institutum, illudque ipse suscepi, ut Præsulis mei voluntati parerem. Itaque Prælectiones easdem adornare jam cœperam, quum me Nincii Præsidis invitatio Cæsenam accivit. Eo delatus statim intellexi, haud ægre duo ista per secessus illius otium conjungi a me posse, ut imposito scilicet penso Græcas literas studiosam ejus Cœnobii juventutem edocendi satisfacerem, & una simul animum adjungerem ad meas illas Prælectiones seu componendas, seu expoliendas. Atque ita revera accidit; nam subcesivis tantum horis in Græca ea Schola occupatus, per reliquas totum me dedi Hebraicæ eruditionis studio, linguæque præsertim. Quodnam id fuerit, cuivis hodie quoque patebit, si oculos figat in Biblicum exemplar ea lingua exaratum, ad cujus oras calamo meo hic, illicque eo tempore adnotabam, quæ ejusdem linguæ radicibus memoriæ meæ firmius infigendis deservirent. Præterea in tabulis quibusdam, quæ adhuc extant, manu pariter mea repræsentare exacte suscepi annos Patriarcharum Ante-Diluvianorum, & Post-Diluvianorum, comparatis inter se calculis ex Hebraico, ex Samaritano, & ex Græco Codice depromptis. Novi mei istius studii genus Nincius admodum probavit, quod auctor ipse fuisset Biblicæ Cathedræ in Florentino Cœnobio erigendæ. Quare ipsemet Cæsenatensibus typis evulgari, me prorsus inscio, præcepit Prælectionum mearum Prolusio-

lusionem, cui titulus: *Oratio de Mosaica Historia Praestantia*. Hanc ipsam ante aliquot annos Veronæ recudendam curavit Dominicus Pius Rosinus Presbyter Brixiensis, eandemque inscripsit studiosis adolescentibus Seminarii ejus urbis. Henricus Nevvtonius, quem superius retuli haud semel Museum meum intrasse socio Magliabechio, in Epistola, cujus verba aliqua ibidem recitavi, alia pariter adjunxit, quibus mea illa Prolusio indicatur, nam benevole auguratus, in illustrium Auctorum catalogum me venturum, mo:: subdit, *Veniet, dixeram? quasi in Mose suo non etiam nunc legeretur, semperque legendus sit*. Mentem meam modo subit, de ea Oratione sensum suum libere mihi aperientem P. Bachinum, fassum esse, ejusdem conclusionem sibi aliquanto displicuisse, quod in ea visus fuerim exactas temporum investigationes despicere, nam easdem *chronologicas tricas* appellaveram. Placuit ergo mihi, Orationem illam in manus, dum hæc scribo, resumere, perlectoque eo loco, quem Bachinus censura sua notaverat, fateor me non videre, si recte ille intelligatur, quo pacto eandem a præstantissimo Viro promeritus fuerit. Utque de ea re judicium ferre valeant Lectores, brevem illam Orationis particulam eorum oculis hic subjiciam: *Quum tamen Mosaicorum Annalium lectionem perutilem dico, non ita intelligi velim, si quis id unum spectet, ut totus in Chronologicis tricis,*

atque

atque impedimentis moretur. Non capiunt angustiæ pectoris hujus sanctissimæ Historiæ dignitatem, sed hac in re, ut aliis etiam plerisque, imitari oportet Octavianum Cæsarem, qui referente Svetonio, in evolvendis utriusque linguæ Scriptoribus nihil æque spectabat, quam exempla publice, vel privatim salubria, eaque ad verbum excerpta aut ad domesticos, aut ad exercituum, Provinciarumque Rectores, aut ad Urbis Magistratus plerumque mitteret, prout quisque monitione indigeret. Ad illa mihi, quæ superius commemorabam, acriter pro se quisque intendat animum, nimirum ad pulcherrimam Deitatis imaginem, quam Moyses non humano, sed divino expressit penicillo, quæ velut oculis conspecta mirabiles sui amores excitabit; ad sanctissimam Legum integritatem, unde omnis humanæ vitæ ratio, moresque conformandi; ad Prophetias in Christo, & Ecclesia impletas; ad summam cum Moyse Canonicarum Scripturarum consensionem; ad eximia illa miracula, quibus qua divina bonitas, atque clementia, qua justitia, & ubique potentissima Dei virtus commendatur. Præterea spectare oportet qui mores, quæ vita, quæ Patriarcharum, Prophetarumque sanctimonia, ut inde vehementissime nobis animus ad virtutis amorem accendatur. Hoc illud est, ut Historiæ Romanæ Princeps ajebat, præcipue in cognitione rerum salubre, atque frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri, unde tibi, tuæque Reipublicæ, quod imitere,

tere capias; unde fœdum inceptu, fœdum exitu quod vites. Florentiam Cæsena, antequam æstas desineret, regressus, Orationem hanc inauguralem publice in Ecclesia Monasterii coram Apostolico Nuncio, Franc. Antonio Sanvitali, recitavi.

An. 1707. Theses aliquas de Lingua Sancta excudendas curavi, de quibus publice pariter, ejusdemque Præsulis sub auspiciis, dissereret unus e discipulis meis D. Stephanus Trenta, de quo injecta est superius mentio. Idem Præsul incredibili benignitate meis omnibus studiis favebat, literarumque adeo & ipse cupidum se ostendit, ut, quamvis Legationis suæ negotiis distentus, rationem invenerit Græcam linguam tunc primum ediscendi; meminique, me aliquando ad ipsum salutandum accedentem deprehendisse in ejus manibus horarias B. Mariæ preces Patavii eadem lingua impressas. Functus ipse fuerat ante Legationem Florentinam munere Vice-Legati Avenionensis; quare multa mihi summa cum comitate narrabat de Ecclesiasticis Galliæ rebus, quæ bibulis ego auribus excipiebam. Florentia, postquam ibidem suum illud munus egregie administrasset, Romam accessit gravissimo Magistratu decoratus, Assessoris videlicet S. Officii, indeque ad Pontificii Cubiculi insignem Præfecturam ascendit, & ex ea ad Cardinalatum, & una pariter ad Urbinatis Ecclesiæ Cathedram, quod Clemens XI. de honoranda in hunc modum Patria sua consilium cepisset.

Anno

Anno 1709. Bononiam perrexi conventione inita cum Joanne fratre meo, qui pariter ad eam urbem Venetiis profectus eſt una cum ejus Conjuge. Per quinque, aut ſex dies moram in ea urbe fecimus, ego quidem in Monaſterio S. Proculi hoſpitatus, ille vero in publico diverſorio, magnæque invicem voluptati nobis fuit longis, & jucundis colloquutionibus diem extrahere. Tunc primo incidit inter nos ſermo de itineribus ultra montes, quæ conjunctim aggrederemur. Ea ut animus meus arderet suſcipere, in cauſa fuerant (præter multa, quæ legeram de hujuſcemodi peregrinationum utilitate) colloquia, quæ paulo ante indicavi habita recens a me fuiſſe cum Legato Sanvitali, multoque adhuc magis, quæ ante decem annos habuiſse me retuli cum Bernardo Montfauconio. Hoc igitur deſiderio accenſus Florentiam repetii, moxque ſtudia mea quodammodo conduplicavi. Etenim animo obverſabantur Viri docti, Academiæ, Bibliothecæ, Muſea, ex quorum omnium ſeu conſortio, ſeu conſpectu ut vera in me iter agentem utilitas proficiſceretur, opus fore exiſtimavi, multiugæ literaturæ copioſiſſimam, quoad fieri poſſet, ſupellectilem in exteras eas regiones a me comportari. Salvinus, Magliabechius, Magalottus, &, qui Florentiæ tunc aderat, Abbas Jacobus Turellius, meum illud iter vehementer probabant, non ita vero Bonarotius, quod ei viderer non

hujuſmodi præditus eſſe valetudine, quæ longi, durique itineris incommoda toleraret.

Nullo utique morbo per quatuordecim annos, quibus Florentiæ vixi, conflictari me contigit; at ſæpe ſtomachi languorem aliquem experiebar, de quo Laurentius Bellinus (eo Medico Monaſterium noſtrum utebatur) quum me aliquando leviter conquerentem audiret, moderandam mihi eſſe literarum cupiditatem ſuadebat, ſiquidem ex hac ipſa vitium illud ſtomachi procreari Cornelius Celſus edocebat. Præterea ſemel evenit, ut calculo per ſectionem eximendo me laborare ſuſpicarer, eaque de cauſa ad eundem Bellinum confugere. Evanuit tamen cito mea illa formido, & quo pacto id acciderit, haud abs re puto hic referri, quod una ſimul præclariſſimi illius Viri miſer exitus intelligetur. Eo igitur timore correptus Bellinum adeundum cenſui, paratus, quam ille protuliſſet, ſententiam, ceu Galeni, & Hippocratis oraculum admittere; nam Bellinus inter plures editas de re Medica doctiſſimas lucubrationes, Scriptorem maxime claſſicum ſe exhibuerat in libro, quem de Urinis, nec non de ſtructura, & uſu Renum conſcripſerat. Scalas ejus domus eo mœſtius conſcendi, quod nunciatum mihi ab ejuſdem famulo fuiſſet, herum ſuum viſcerum dolore excruciatum in lectulo jacentem a me deprehenſum iri. Ut primo ipſi factus ſum propior, non quidem percontatus eſt ad-

adventus mei causam, sed illam exponere incœpit, ob quam ipse cubili affixus manebat, dolores scilicet, unde torquebatur. A me deinde amice poposcit, quod nam esset opus, quo me juvare posset; moxque morbum, quo tentari verebar, ipsi declaravi, quod paucis feci. Paucis pariter ipse respondit, nullum judicium de mea illa supicione ferre se posse, nisi lotii in crystallino vitro a me redditi diligenter post aliquot horas proprietates observasset. Parui ejus præcepto, moxque discessi, æque pariturum me spondens in reditu, quem mihi faciendum præscripserat ad diem posterum. Verum, antequam iste dilucesceret, obiit Bellinus, iisdem, quos dixi, doloribus enectus. Manavit fama, ortos ipsos fuisse ex inedia, qua jamdiu corpus suum conficiebat. Etenim pro re certa statuerat, quæ corpori suo inerat, pinguedinem, non quidem adipem esse, quem ipsius corporis habitus postularet, sed immundam quandam fæcem morborum procreatricem, ac propterea si hanc extrema cujusvis cibi parcimonia abstergeret, atque extenuaret, bene se consulturum suæ valetudini. Id mihi his ipsis verbis ante aliquot menses affirmaverat, dum una simul jactaret per eam parcimoniam jam sibi feliciter cessisse veteris, corruptique hominis eversionem, atque unum inposterum studium se manere novi, sanique hominis superinduendi. Hunc in modum misere extin-

ctus est excellentissimus Medicæ artis doctor, postremo hoc etiam erga se adhibito experimento demonstrans, verum fuisse, quod de ipso passim ferebatur, eundem scilicet opinationibus quibusdam suis plus æquo indulgere consuevisse. Una cum Bellino extincta est, nescio quo pacto, morbi illius cui me obnoxium suspicabar, formido omnis; nam paulo post certo certius cognovi, eandem animo meo insitam fuisse non aliquo vitio, quo renes laborarent, sed ex frequenti calculorum sectione, quam Florentiæ ea tempestate factitabant peritissimi Lithotomi Colligianus, & Lancisius, compluribus eo morbo affectis Florentiam confluentibus, vel ex remotis regionibus, ut ex eorum peritia, & dexteritate levamen, ac remedium, si fieri posset, ducerent. Bini ex illis, ni fallor, meo in Monasterio hospites recepti, eandem sibi prorsus salutiferam experti sunt; contra Strozzius Florentiæ Archiepiscopus a Colligiano exsectus intra paucos omnino dies occubuit. Nil mirum sectiones istas imaginem mali, quo reapse carebam, indidisse animo meo acri, & fervido. Vim, qua præditus is foret, pares alias imagines effingendi quum mihi sæpe incommodam accidere, Bellino narrarem, reponebat ille, eandem cum adolescentia desituram; durat tamen adhuc, indeque gloriari possem, ex Medici dicto, senili hac etiam ætate inesse animo meo, *quæ quondam juvenili in corpore vires*.

CA-

CAPUT III.

Ab anno MDCCX. *usque ad annum* MDCCXI.

ANno 1710. quum propius instaret tempus ineundi cum Fratre meo longinquas, quas paulo ante indicavi, peregrinationes, fateor accidisse, ut non æque ac antea hauriendæ ex istis seu utilitates, seu voluptates animum meum titillarent, quod videlicet diutinum vale dicturus forem Florentiæ studiorum meorum amantissimæ altrici, atque parenti, quamque propterea velut alteram patriam colerem, diligeremque. Adeo altas hujusmodi erga urbem illam filialis pietatis sensus radices meo in pectore jecerant, ut procul Florentia vivere me posse vix, aut ne vix quidem arbitrarer. Eos ipsos patefaciendi haud raro occasio se obtulit nonnullis lucubrationibus meis prælo excusis, in primis vero binis ad Nereum Cardinalem Corsinum literis, quas Latinarum Decas mea prima complectitur, eosdemque, donec vita mihi suppetat, nunquam desinam profiteri. Ut primo propositum illud meum Florentiam relinquendi innotuit Abbati Lazarino, quam ægre rem istam ferret, literis ad me datis aperuit, questus inter cætera, meum illum abitum incommode ipsi quoque cessurum, quod inde orbandus foret commercio epistolico inter nos frequentato de rebus quibusdam literariis, quarum causa anxium ipse tunc temporis ani-

mum gerebat. Quænam eæ forent, & quænam opera a me ei præstita, meminit ipsemet in Epistola ad Romanum Præsulem Justum Fontaninum, Romæ recens vulgata a Viro erudito Francisco Benaleo una cum aliis Lazarini Opusculis.

Mense Septembri Florentia discessi, & Bononia, ac Mantua iter agens Veronam appuli, quo jam Frater ex convento pervenerat. Calendis Octobris rhedam conscendimus, ut Germaniam, qua in Bataviam est iter, trajiceremus. Bis dumtaxat a recta ea via aliquantulum deflex imus, primo nimirum ut Monachium, deinde ut Nurembergam inviseremus. Celebriorum Urbium, quas pertransivimus, hunc mihi modo suggerit catalogum memoria. In Tirolensi tractu, Tridentum, Brixino, Oenipons occurrerunt. Ex Oenipone in Bavariam contendimus, & primo loco intuendum se dedit insigne Monasterium Benedicto-Buranum nuncupatum, eximioque hujus aspectu invitati ad illud invisendum accessimus, ac summa humanitate a Monachis accepti fuimus, imo adacti, ut prandium apud ipsos sumeremus. Hoc ipsum Cœnobium adire mihi visum est in Bavarico, quod ante paucos menses confeci, itinere, quumque ejus Præsuli memorarem, qua occasione triginta, & octo ab hinc annis ædes illas mihi ingredi contigerit, inita diligenter inter nos temporis supputatione comperimus illis ipsis mei primi adventus diebus adfuisse eundem in eo

Cœ-

Cœnobio sæcularibus vestibus indutum, quas tamen cito depositurus foret, ut Monasticas inter Novitios indueret. Monachium inde profecti sumus, Frisingam postea, & Augustam; trajectoque ad Donabergam Danubio, Aichstatum, & Nurembergam, hacque ex Urbe Rhenum versus iter capientes, quo ad Batavos recta deduceremur, Herbipolim, Francofurtum, Dusseldorfium, & Vesalium adivimus. Postea relictis Rheni litoribus, Mosam fluvium assequuti sumus, Hollandiæ fines præterfluentem, ad quos pervecti Dordracum, Roterodamum, & Delphos attigimus, tandemque Hagam Comitum, qua postrema in urbe statutum nobis erat per unum & alterum mensem subsistere. Reliquas omnes, quarum censum recitavi, celeri quidem gradu peragravimus, at non ita præpropero, quin facultas nobis patuerit observandi quotquot in singulis visu digniora reperiuntur. Bibliothecas aliquot adivi, Monasteriorum præsertim; nec defuerunt Viri literati, etsi non adeo multi, quos convenirem. Inter hosce unum memorabo Jac. Willel. Imhofium Nurembergensem, cui magnopere jucundum accidit ex meo alloquio intelligere, libros Genealogicos a se conscriptos in Italia lectitari, meque eorundem partem aliquam ita diligenter evolvisse, ut in numerato haberem loca quædam, in quibus nodos invenissem, quos ingenue eidem exposui. Multus

cum eodem habitus est de Magliabechio sermo. Eundem laudat Imhofius in Oper. illius Præf.

Hagæ Comitum moram traxi quo ipso tempore Legati Principum eo convenerant ad statuendas conditiones, per quas bello, quod a pluribus jam annis ardebat, finis imponeretur. Pacificatoriam ejusmodi Legationem a Veneta Rep. acceperat Sebastianus Fuscarenus, Eques, & Divi Marci Procurator, quodque adversa ipse valetudine urgeretur, inde factum fuit, ut frequentius ad eum invisendum confluerent reliqui Legati, præterquamquod magnam apud omnes istos authoritatem ei conciliaverat eximia, qua certe pollebat, publicarum rerum gerendarum peritia. Inter eosdem vero nemo frequentius adstitit Fuscareno, nemo huic carior habebatur, quam Dominicus Abbas Passioneus, a Clemente XI. ad eundem Conventum ablegatus. Quoties igitur ad Fuscareni Ædes accederemus (semel scilicet, iterumque singulis diebus) toties datum nobis erat Legatos cum eodem colloquentes nancisci, & una percipere negotiorum, quæ inter ipsos tractabantur, haud omnino levem cognitionem. At nihil acceptius mihi contigit, quam diu, noctuque, ut ita dicam, sermones conferre cum Passioneo, quippe qui delati sibi ab Apostolica Sede muneris partibus dum egregie satisfaceret, arbitratu meo summa cum benevolentia æque paratum se præbebat homi-

nis

nis literis addicti partes implere, easque adeo mirandum in modum, ut ingenii, & memoriæ portentum mihi videretur, eoque nomine ipsum crebro appellare consueverim vel in ea Legatorum celebritate, qua inclaruisse Fuscareni ædes jam dixi. Oriebantur autem aliquando inter nos de iis ipsis argumentis concertationes, quibus nullum fieri posse finem censebant quotquot præsentes aderant, siquidem absque ulla intermissione uno velut impetu quisque nostrum in medium afferre satagebat quantum eruditionis assidua, omniugaque lectione partæ, in mentis nostræ promptuariis conderetur. Passioneum vel eo tempore promeruisse Sacram Purpuram, quam sero nimis a Clemente XII. post viginti, & octo annos accepit, centies mihi fassus est Fuscarenus, optime conscius, ipsum in commissis sibi Romani Pontificatus negotiis summa dexteritate usum, nullis præterea seu laboribus, seu sumptibus pepercisse. Pari apud eruditos ejus regionis Heterodoxos existimatione gaudebat, quam inter cæteros publice etiam testatus est Jacobus Gronovius ejus Nomini inscripta luculentissima Auli Gellii Editione. Marchio Rinuccinus, Magni Etruriæ Ducis Legatus, quod cum eo singulari amicitia Florentiæ conjunctus forem, familiariter toto eo tempore mecum egit; memorabatque sæpe conciliatorem nostræ illius consuetudinis fuisse Patrem Benedictum, quippe

pe qui a Comite Magalotto rogatus, ut eundem ingenio præſtantem, & literarum magnopere cupidum inter amicos ſuos reciperet, multo magis decere reſpondit, ut ea amicitia inter Rinuccinum, & Quirinum contraheretur, ſiquidem parem ambo ætatem numerarent, dum ipſe grandis natu jam eſſet. Duas eo tempore, vel tres Coſimi III. literas ad me benigniſſime proprio ejuſdem calamo exaratas tradidit mihi Rinuccinus. In hiſce ex mora, quam in Hollandia trahebam, occaſionem ceperat Princeps Clementiſſimus, aliqua mihi indicandi de priſca ſua ad eaſdem regiones profectione. Pariter cum Comite de Sinzendorfio, Cæſareo Legato, frequenter colloquendi aditus mihi patuit, præbebatque ſermonibus noſtris uberem materiam Gallicum iter ab ipſo ſuſceptum adhibito in ſocium doctiſſimo P. Bernardo Pezio; quare & de literariis hujuſce clariſſimi Scriptoris laboribus, & de præſtantiſſimis San-Germanenſium Monachorum lucubrationibus quamplura ille mihi referebat, quæ jucundiſſime percepi. Præter Legatos, Jacobum Baſnagium occaſio mihi non defuit ſemel, iterumque alloquendi, quin ipſum e ſuggeſtu ad Calvinianos ſuos concionantem audire haud ſum dedignatus. Advocaverat ipſum ad Eccleſiaſtis, ut vocant, munus obeundum Heinſius magnus Penſionarius, eundemque iſte adhibere conſueverat gravioribus etiam politicis negotiis

tiis pertractandis. Plures hujus Scriptiones in Italia evolveram, præsertim vero Judæorum Historiam, de qua nonnullas eidem quæstiones proposui. Ejus frater Henricus de Beauval Ephemeridum eruditarum scriptor ante paucos menses, quam ego in Hollandiam pervaderem, obierat.

Mense Decembri in Angliam trajecturi, ad oppidum, *Brilla* nuncupatum, perreximus, quo in loco nunciatum jam nobis fuerat paratas adesse naves Ducem Marleburgium e Batavis litoribus transvecturas ad Britannica. Ipse Dux, quem Hagæ salutaveramus, earundem conscendendarum humanissime copiam nobis fecit. Eo itaque ad oppidum illud adveniente, statim omnes, quod aura faveret, ipsas ingressi sumus, moxque sublata fuit anchora ad vela facienda. At repente ventus subsidit, adeo ut grandiores naves, bellicas scilicet, progressu arceret subsequuta maris tranquillitas. Moræ omnis impatiens Marleburgius, Navarcho injunxit, ut sola minora navigia, vulgo *Jachts*, quorum scilicet cursum ea tranquillitas minime inhibuisset, procederent, majoribus illis retro relictis. At Navarchus dicto isti haud parere se posse respondit, palam professus, navibus in eum modum dissociandis, dum bellum inter Anglos, & Gallos arderet, nullo pacto absque piaculo assentiri se posse. Memini, adversam hanc Marleburgii imperio hominis illius

illius voluntatem pro certo argumento a nonnullis, qui eandem nobiscum navim intraverant, habitam fuisse factæ jam Londini, unde recens Navarchus discesserat, rerum conversionis, dejecti scilicet jam Marleburgii ex eo auctoritatis loco, quem prius in Anglia obtinuerat. Namque in aures invicem, nobis tamen audientibus, sibi illi insusurrarunt, annis proxime præteritis nec Navarchum, nec alios quosvis publica munera in Anglia obeuntes, commissuros fuisse, ut Marleburgio obtemperare detrectarent, acceptas a Regina jussiones causantes. Voto igitur suo navigationis properandæ nec Navarchi voluntatem, nec ventos respondere postquam Marleburgius comperisset, tædio affectus consilium cepit in terram descendendi, Hagamque reversus est, ibi mansurus, donec aura perflaret bellicarum cursui magis secunda. Nos vero Amstelodamum adivimus, integramque ibidem hebdomadam transegimus, rara, & singularia, quibus ea Urbs abundat, studiose, quin avide spectantes. At nulla ego re magis sum delectatus, quam frequentibus cum Joanne Clerico colloquiis, quibus identidem interfuit ejus conjux, Gregorii Leti filia, omnemque ista occasionem captabat sui illius parentis literaturam extollendi. Studia, quibus id temporis Clericus vacabat, in Sacrorum Bibliorum interpretatione præsertim versabantur, ac proinde enixe me rogavit, ut, sta-

ſtatim ac Lutetiam adveniſſem, eundem per literas certiorem redderem, an procederet ſuſcepta a Bernardo Montfauconio Origenianorum Hexaplorum Editio,quam valde opportunam fore affirmavit Commentariis in Jobum, quos ipſe adornabat ſolis Origenianis fragmentis a Druſio collectis inſtructus una cum Catena a Caſaubono evulgata. Commendabat autem ſummopere pleraſque omnes veterum Patrum Editiones cum a Montfauconio, tum a reliquis San-Germanenſibus Monachis curatas. Hæc dicentem dum audirem,ore ad riſum compoſito eundem interpellavi,an pari laude dignam reputaret Hieronymianorum Operum Editionem, quam molitus fuerat Joannes Martianæus? Quoniam vero ex mea hac interrogatione ſat clare ipſe intellexit, haud me latere aſperas rixas inter eundem & Martianæum ob eam Editionem exortas,adeo multus fuit in cauſa ſua tuenda, ut me quodammodo piguerit chordam illam attigiſſe. Subdidit poſtea, ſe vehementer optare, ut vetus Italica verſio novi Teſtamenti ab iiſdem doctiſſimis Cœnobitis ederetur. Cupiebat quoque certior fieri, an verum eſſet, Montfauconium in Bibliotheca Segueriana magnam manuſcriptorum Codicum vim deprehendiſſe, & præcipue Lexicorum Græcorum, atque inter iſta Heſychianum, de qua re fidem ipſi fecerat per literas ante paucos menſes datas Abbas
Bi-

Bignonius. Ut hæc omnia promptius recolam, facit Epiſtola, quam adhuc ſervo, ab ipſo Clerico ad me Lutetiæ jam morantem conſcripta, qua in memoriam mihi revocavit, quæ in ea urbe per me curari flagitaverat. In eadem Epiſtola quo magis celebrat ille San-Germanenſium, aliorumque complurium Galliæ Eruditorum labores, præſertim in Antiquitatibus Eccleſiaſticis eruendis, & illuſtrandis, eo minori æſtimatione dignatur quæcumque Batavia ſua in lucem eo tempore proferebat: *Nihil hic agitur* (inquit) *quod nunciare operæ pretium ſit. Grammatici modo deſipiunt, ut cum maxime. Gronovius ridiculam adverſus me Diſſertationem vulgavit, cui nihil reponam. Aggreſſus pariter eſt Kuſterum Virum bonum, nec adhuc a minis abſiſtit. Adverſarius tamen ille eſt minime formidandus, & cum quo manus conſerere parum honorificum.* Paucis deinde attingit Anglicæ literaturæ ſtatum, recenſetque novam Horatii Editionem a Bentlejo curatam, nihilque ea audacius uſquam emanaſſe pronunciat, quod homo ille ad audendum, ſi quis alius, projectus haud vereatur, lectiones pleraſque omnes incertas, & quaſdam etiam manifeſto falſas obtrudere. Contra laudat Clementis Alexandrini Editionem Potteri ſtudio accurate, & nitide impreſſam, ſelectiſque Notis adornatam; æque commendat Editionem Geographorum Græcorum minorum ab Hudſonio, item Characterum Theophraſti,

ſti,authore Needhamo evulgatam. Tandem aliqua ſubjungit de iis, quæ in Italia vulgari perceperat, ſcilicet de Demoſthenis nova verſione ab Abbate Lucheſino confecta, de Libanii Epiſtolarum Editione, cui vacabat Abbas Adamus, queriturque poſtremo loco, merces hujuſmodi Italicas admodum raro ad Batavorum regionem ex Bibliopolarum incuria deportari. Data eſt hæc Epiſtola die 18. Novembris an. 1712. Haud omittam narrare, Clericum inter alia a me interrogatum fuiſſe, quemnam ex veteribus Eccleſiæ Patribus pluris faceret, nominatumque mihi ſtatim ab ipſo, Auguſtinum. Falſa ergo fama (ſubjunxi ego) in Italia vagatur, ſub nomine Phereponi, qui recens in Batavia curavit ejus Patris Operum novam Editionem, non alium deliteſcere, niſi ipſummet Joannem Clericum; falſa, inquam, fama, nam Phereponus ille in Notis ad eam Editionem appoſitis nullam profecto omittit carpendi Auguſtini occaſionem. Æqui,bonique tulit meum iſtum candorem Clericus,ac mihi æque candide affirmavit,Notas ſe illas confeciſſe non ex doctrinæ Auguſtinianæ contemptu, ſed quod res omnino iniqua ſibi videretur, Batavos Magiſtratus ejuſdem doctrinæ authoritatem obtendentes fas ſibi eſſe arbitrari, quoſvis ad parendum Dordracenæ Synodi Decretis adigere, perinde ac ſi in ea regione poſt detrectatum Romanæ Inquiſitionis jugum, aliud, & quodammodo

modo durius, conſcientiis incolarum imponi per ea Decreta, æquo animo tolerare quis poſſet. Kuſterus (de quo ſuperius ex Clerici Epiſtola) degebat & ipſe Amſtelodami; hujuſque pariter conſuetudo me per eos dies oblectavit, eoque magis, quod ex ipſa haud obſcuris indiciis innotuit mihi propenſus hominis animus ad Catholicam Religionem, quam revera poſt binos annos eſt amplexatus. Plura ille mihi verba fecit de impenſis a ſe in Suidæ Editionem laboribus. Adire etiam volui domum, in qua Queſnellius habitabat, ab eoque humane exceptus ita in colloquiis, quæ cum ipſo habui, me geſſi, ut facile intelligere ille potuerit, ſtudium meum in eum conveniendo ex viatoria tantum curioſitate profectum fuiſſe. Aderant cum ipſo Petitpied, Fouillou, & Brigode, hique etiam comiter admodum meum in conſpectum ſe dederunt. Ea ipſa comitas effecit, ut magis, magiſque miſertum me fuerit eorum hominum, quos tot malis obruerat mentis pervicacia, qua ſcilicet Romanæ Eccleſiæ de Janſenianæ doctrinæ labe ſententiis refragabantur. Diffiteri tamen nequeo, a Queſnellio libenter me accepiſſe, quæ ipſe ad Vaſſorium, Sodalem olim ſuum in Pariſienſis Berulliani Oratorii convictu, ſcripſerat, eundem hortatus, ut relicta Anglia, in quam ſeceſſerat, ad Orthodoxæ Eccleſiæ ſinum remearet; idque ipſum a me, poſtquam in eam Inſulam dela-

delatus fuissem, ejusdem auribus misericorditer inculcari, enixe postulavit. Addam insuper, Joannem Clericum, quum me semel audiret hominum illorum errores graviter damnantem, haud veritum fuisse mihi regerere, gloriæ suæ ducturos fore Protestantes, si Quesnellium, & socios secum in Religionis capitibus sentire, ac proinde ad se, non ad Catholicos pertinere, jure possent gloriari. Petiit a me (ut hoc etiam addam) idem Clericus, num Kusterum invisissem. Utique, respondi, quod bene compertus is mihi Florentiæ degenti fuisset ex literariis laboribus, quos in Suidam impenderat, quodque eos quoque rescirem, quibus tunc vacabat, nimirum augendi Novum Testamentum, Milii, variantibus lectionibus, & meliori ordine disponendi, Aristophanis autem Comædias novis Scholiis ornandi. Demum subjungam, eidem Clerico haud dissimulatum a me fuisse, ejus Commentarios in Pentateuchum haud raras occasiones mihi ministrasse eosdem in Biblicis meis Prælectionibus sugillandi, præsertim vero Dissertationem de Transitu Maris Rubri, pariterque censuram meam in iisdem Prælectionibus haud effugisse loca aliquot Artis Criticæ ab eo præscriptæ, in qua tamen multam fuerim admiratus eruditionem.

CAPUT IV.

Ab Januar. MDCCXI. *usque ad Martium ejusd. anni.*

VEnto navigationi, quam meditabamur, propitio jam flare incipiente, relicto Amstelodamo Brillam regressi sumus, deprehendimusque stare adhuc in vado naves ad Marleburgium deducendum paratas, isque eo jam jam adventurus ferebatur. Attamen nobis perlibuit, iisdem posthabitis, tabellariam, vulgo *Paquebot*, inscendere, quo expeditius in Angliam aura favente pervaderemus. Favit ea quidem, & multo valentius, quam optaremus. Quare solo vigintiquatuor horarum, aut paulo amplius spatio Hardvichum, ubi solet anchoram jacere navigium illud, pervenimus, tanta tamen stomachi nausea affecti, ut ad eam discutiendam per biduum in eo loco subsistere, lectoque decumbere nobis necesse fuerit. Luce autem tertia ex ea mansione digressi, curru iter cepimus Londinum versus, quo pervecti sumus intra binos dies; rectaque ad ædes adivimus Veneti Legati, qui jam comiter tecto nos invitaverat. Is erat Petrus Grimanus, Serenissimus modo Venetiarum Dux, qui trimestri eo tempore, quo apud ipsum hospitati sumus, cæteris humanitatis officiis, quibus nos cumulavit, hoc etiam adjunxit, ut ipsius ope abunde mihi suppeterent per singulos dies Virorum doctorum colloquia, quorum fame, ut ita di-

cam, improba me extimulari e vestigio intellexit, literarum & ipse amantissimus, earundemque pretii optimus æstimator. Inter Viros illos ex donatis publica luce Scriptionibus celebres primo se mihi obtulit, qui maximam ea de causa nomini suo famam comparaverat, Gilbertus Burnetius, Episcopus Sarisberiensis. Plurimus inter nos fuit sermo de eo Opere, quo ille complexus fuerat mutatæ ab Henrico VIII. in Anglia veteris Religionis historiam, quam scilicet ex Anglico in Gallicum idioma conversam, Florentiæ perlegeram, quum pleraque alia, ne dicam omnia, ejusdem Scriptoris Opera Anglice tantum prodierint. Fassus mihi ingenue est, ad eam Historiam multum operæ contulisse Doctores Loydium, & Tillotsonium. Quare ab ipso amice quæsivi, cuinam ergo ex tribus magis deberentur eæ intemperiæ, quibus actus Historicus Catholicam Religionem lacerandi occasionem omnem captabat. Erubuit leniter, dum id percontarer, Burnetius, eoque magis quod statim subdidissem, paribus probris scatere itineris Italici descriptiones, quascumque Angli in lucem emiserant, hisque verbis eas a me designari intellexit, quæ Burnetii, Missonii, & Addissonii nomina præferunt. Ediderat Burnetius omnino recens Catechismum Ecclesiæ Anglicanæ, vacabatque jam prope septuagenarius, quando ipsum alloquutus sum, sui temporis historiæ conscribendæ. Obiit ille

an. 1715. ac proinde triginta annis, antequam Opus illud suum a me memoratum, *Histoire de la Reformation de l'Eglise d'Angleterre* oppugnare ego cepissem in Epistolarum Cardinalis Reginaldi Poli Editione. Æque libenter, ac cum Burnetio Episcopo Sarisberiensi, sermones contuli cum alio ejusdem nominis Theologo, nimirum cum Thoma Burnetio, cujus Opus inscriptum, *Telluris Theoria sacra*, mecum Florentiæ a Magliabechio communicatum adeo diligenter versaveram, ut me de eo Opere differentem audiens aliquando Magalottus, Philosophiæ omnis cum profanæ, tum sacræ eximie peritus, nimium, quo afficiebar, erga Systema libri illius amorem reprehendere more suo suaviter non abstinuerit. Docuit me idem Burnetius, Erasmum Wartonium plura Theoriæ illi suæ opposuisse in libro, Geologia, seque paulo post objectionibus respondisse. Certiorem præterea me fecit libri, quem deinceps evulgavit hoc titulo insignitum, *Archæologia Philosophica, sive doctrina antiqua de rerum originibus*. Hickesius, Bentlejus, & Nevvtonius, haud minus quam Burnetius uterque, Florentiæ comperti mihi fuerunt; nam Hickesii prodromum quendam ad Volumina ab ipso evulgata de Litteratura Septentrionali legendum mihi præbuerat Magalottus; Bentleji in Horatium curas Magliabechium quandoque multis laudibus efferentem audieram, quandoque etiam car-

carpentem ob usurpatam mira audacia in probandis quibusdam lectionibus phrasin istam, *Invitis omnibus Codicibus ita lego*; Nevvtonius, quemadmodum in oculis, ita per ora ferebatur assidue ab Abbate Grandio, & reliquis Florentiæ Mathematicarum facultatum cultoribus. Deprehendi ipsum semel, iterumque apud Bentlejum in Bibliotheca Regia Cotoniana, quam iste curabat, quumque in Euclidis Elementis haud omnino me hospitem eidem exhibuissem, plura in medium afferre me audiente haud dedignatus est de ratione arithmetice adinveniendi radices æquationum, de analysi infinitorum, de quadratura &c. quibus omnibus etsi aures præstarem, iis tamen intelligendis haudquaquam idoneum me effecerat comparata mihi, quam supra dixi, eorundem Elementorum quantulacumque peritia. Aptiorem me sensi ante aliquot annos, dum scilicet *Primordia Corcyræ* Brixiæ recudenda curavi, ad refellendam turpem Nevvtonii ejusdem hallucinationem a me observatam in libro, quo veterum Regnorum chronologiam reformare instituit; nam ibi sphæram ludicram, quam Nausicaa in Corcyræ insula ex Homero, aliisque adinvenisse proditur, in machinam commutavit ad cœlestes globos designandos excogitatam. Ex Gallis eruditis, qui Religionis causa in Angliam transfugerant, binos præsertim internoscere jucundum mihi fuit, Alixium, & Vassorium. Biblica ille in

primis eruditione insignis habebatur, qua me non omnino leviter tinctum ex munere, quo Florentiæ perfunctus fueram, ostendere eidem potui. Vassorio autem certam fidem feci præ manibus me habuisse libros, quos conscripserat de Ludovici XIII. Galliarum Regis Historia, Collectionemque Actorum ad Concilium Tridentinum spectantium, quæ ex Hispanico in Gallicum idioma converterat. Morabatur eo tempore, quo cum ipso verba habui, apud illustrem Comitem de Portlandia, a quo postea domo eundem ejectum fuisse intellexi, miseреque post aliquot annos e vita migrasse. Haud oblitus fui ab eo sciscitari, num literas illas paræneticas accepisset, quas ei dedisse mihi affirmaverat Quesnellius; nec profecto negavit. Voluptati, quam ex hominum istorum Londini degentium colloquiis percepi, magnum incrementum accessisset, si superstites in ea urbe nactus fuissem Georgium Bullum, & Ezechielem Spanhemium; nam utriusque Scriptis evolvendis sedulam operam Florentiæ navaveram. Ambo fatis sunt functi an. 1710. meumque in Angliam trajectum per unum dumtaxat & alterum mensem Spanhemii obitus præcessit; Bulli vero obitus circiter per decem. Thomam Smithum, curatorem Editionis Epistolarum S. Ignatii a Pearsonio adornatæ, & Actorum Cyrilli Lucari, pariterque Joannem Tolandum, qui de Titi Livii vindi-

diciis, & de Originibus Judaicis scripsit, & tandem celeberrimum Henricum Dodvvellum; Triumviros inquam istos conveniendi facultas mihi defuit, quod procul distaret eorundem domicilium Londino. Dodvvellus praeterea, quamvis non adeo ac reliqui duo abesset, imo in more haberet ad eam urbem haud rarus accedere, gravi id temporis morbo tenebatur, ex quo post paucos menses vita excessit. Æque carui occasione invisendi Addissonium, quem, praeter plurima Carmina, authorem agnoscit quartus Tomus Itinerarii Missonii; itemque Jacobum Abbadiam, authorem libri admodum celebris, *De la verité de la Religion Chretienne*. Quod copiosissime referta esset libris his omnibus, quos laudavi, & aliis insuper lectissimis Magliabechii Bibliotheca, eosdemque iste largissime studiosis suppeditaret, certiores praeterea ipsos humanissime faceret eruditi sui cum exteris nationibus commercii, demumque is foret, ut passim vocabatur, Bibliotheca spirans, & Museum inambulans, hinc nil mirum prorsus, summa me jucunditate affecisse cum eorundem librorum, quos antea, ad manus habuissem, authoribus sermones serere, quo frequentius fieri posset.

Postquam per duos circiter menses Londini morati fuissemus, de adeunda utraque Angliae Universitate, Oxoniensi, & Cantabrigiensi cogita-

gitavimus. Oxonium petentibus occurrit Windesorium, quo quum advenissemus ibidem pernoctaturi, ut primum e curru descendi, petita a Fratre meo, aliisque nostri hujusce itineris sociis licentia, ad Guillelmum Cave, quem noram Canonicatu in ea urbe potiri, advolavi. Historiam Scriptorum Ecclesiasticorum ab ipso compositam diu, noctuque Florentiæ in manibus habere consueveram, utque Vir ille ex eadem plura in medium a me prono velut alveo proferri intellexit, singularem inde expertus est voluptatem, modeste affirmans se putasse suum illud Opus in Italia seu negligi, seu ignorari. At contra ipse respondi, vix alium librum sua illa Historia notiorem esse Florentiæ; & quoniam hanc urbem nominaveram, statim subjunxi, ejusdem eruditos cives haud mediocriter conqueri detractas in ea Historia fuisse Florentinas infulas S. Antonino, Neapolitanasque ipsi tributas. Comiter excepit dictum istud bonus senex, memoremque se futurum promisit erroris illius emendandi in nova ejusdem Operis Editione, quam Genevæ instrui perceperat. Prodiit hæc in ea urbe, tantum aliquot annos post Authoris fata, nam iste anno 1713 decessit, recusum autem fuit Opus illud anno 1720. Genevæ. Plures horas colloquendo cum homine illo libentissime consumsi, adeo ut ad hospitium regressus Fratrem, & socios invenerim bel-

belle cænatos. Ridebant illi, quod incænatus cubitum ego iturus forem, ipse vero gloriabar, multo lautiori mensa me acceptum fuisse a Viro eruditissimo, quam ipsos accepisset Tabernarius. Postridie Windesorio Oxonium pervenimus, diligenterque quæcumque eam Universitatem exornant lustravimus, videlicet Bibliothecam Bodlejanam, Theatrum Sheldonianum, Typographiam, Museum, & Viridarium Simplicium. Iis omnibus visendis ducem se nobis humanissime præbuit Joannes Hudsonius, Bodlejanæ primus Præfectus. Virum hunc adeo mihi commendaverant adornatæ ab ipso Editiones Velleji Paterculi, Thucydidis, Dionysii Halicarnassei, Græcorum Geographorum, & Longini; ut, si dixero, Anglicum iter vel hominis illius tantum causa libenter a me suscipiendum fuisse, haud certe mentiar. Aderant una cum ipso Hudsonio plures Collegii Oxoniensis socii, & inter istos Joannes Potterus, valde celebre jam nomen assequutus ex Græcis Archæologiis ante aliquot annos publicatis, pariterque ex Clementis Alexandrini Editione, in quam summo tunc studio eundem incumbere fama vulgaverat. Parum abfuit, ut ex hominum istorum benignitate Oxoniensium Doctorum catalogo me accensitum repente, dum nihil tale opinarer, conspicerem; at præmaturus noster ex ea urbe discessus consilium illud disturbavit.

Re-

Reversi Londinum, Cantabrigiensis Universitatis adeundæ ut cogitationem abiiceremus, auctor fuit Bentlejus, quippe qui haud magni faceret, ut mihi videbatur, ejusdem Professores. Ni tamen memoria me fallit, ornabat eo tempore Academiam illam Petrus Needhamus, Hieroclis, & Theophrasti Editor, memoratusque a me superius ex Clerici Epistola. Nec aliam idem Bentlejus Bibliothecam æque æstimabat ac Cotonianam, cui præerat ipse, ut superius dixi, quamque frequentandi commoditatem officiosissime mihi largiebatur. Is mihi suasit, ut Britannicæ Historiæ notitiam potius ex Isaaco Larreijo, quam ex aliis Scriptoribus haurirem. Suasit etiam (quod antea fecerat Gilb. Burnetius) ut Anglicæ linguæ edifcendæ me darem, affirmans, paucorum dierum studio consequi me posse, ut libros historicos, imo disciplinarum ea lingua exaratos facili negotio intelligerem. Accidit, primo legendas sese mihi obtulisse Vitas Cardinalium a Senensi Scriptore Italice compositas, eoque idiomate mihi notas, quasque miratus sum Anglice etiam redditas extare. Multa ab eodem Bentlejo, aliisque eruditis, quos nominavi, subinde sciscitabar de celeberrimo Gallico Scriptore Carolo Sant-Euremontio, qui Londini ante octo annos obierat. Maximum hujus admiratorem se mihi passim ostenderat Magalottus, initamque cum eodem a se in Anglia consuetudinem crebro ser-

sermonibus suis recolebat. Jussit itaque, dum Florentia discederem, ut viatorio meo commentariolo Sant-Euremontii nomen consignarem ad tutius servandam memoriam rei, de qua ipse valde afficiebatur. Percontatus sum ergo ab iisdem Viris, quamnam de se ipso famam Sant-Euremontius moriens reliquisset, nimirum de suo ingenio, de suo stylo seu soluta, seu ligata oratione, de mente quam integram ipse retinuisse ferebatur usque ad nonaginta annorum ætatem, denique de Religione, num vere Catholicam profiteretur; nam ex molli, delicataque vita, quam sectabatur, & ex libertate, quam amabat, quemadmodum cogitandi, ita loquendi, scribendique, ducti fuerant quam plures in suspicionem, ne quandam ille peculiarem sibi Religionem confinxisset. Hæc omnia exacte, quoad fieri potuit, Londini sum perscrutatus, cum ut morem gererem amico imperanti, tum quod Sant-Euremontius me quoque sui studiosum haberet; nam ejusdem librorum lectione delectabar tyrocinii etiam religiosi tempore. Hanc rem mihi semel vitio vertisse Moderatorem nostrum, bene memini, & me huic respondisse, amœnioribus hujuscemodi studiis excolendis animum appulisse cum Leone X. Pontifice, quotquot in ejus Aula versabantur, ac proinde Cardinalem etiam Divitium a Biblena, quo, Civis videlicet sui, nomine audito, nihil amplius ad-

adversus meam illam lectionem homo, rigidæ cæteroquin disciplinæ austerus exactor, mussitavit. Quas autem de Sant-Euremontio notitias comparaveram, ne in Italiam redux largiri Magalotto possem, effecit invida mors, quæ ipsius vitæ ante meum illum reditum stamina abrupit, ut suo loco dicetur.

Invectam a Novatoribus divini, ut ipsi vocant, Servitii formam iteratis vicibus in eorum Templis accurate observavi, & semel Eliensi Episcopo solemniter celebrante. Adfui quoque aliarum, præter Anglicanam, Sectarum Conventibus, quoties in aliquo angulo latere posse mihi datum fuit. Ex eorum grege, qui a corporis tremore, quem affectant, *Trembleurs* Gallice, *Quaquers* Anglice dicuntur, insignis habebatur Quare, horologiorum opifex vere insignis. Hic quum frequens eorundem distrahendorum causa ad ædes, quas incolebamus, accederet, libenter de Sectæ suæ dogmatibus disserebat, librumque mihi elargitus est, qui eadem complecteretur. Hunc officiose accepi, officiosius tamen accepturus, ut Veneto Legato in aurem dixi, aliquam ex machinis aureis sua opera constructis, quibus scilicet multo major fides habenda a me foret, quam Sectæ illius suæ Catechismo. Supremum Angliæ Senatum, dum comitia in eo haberentur, haud semel adivimus, adfuimusque ibidem eo tempore, quo pristina authoritate

tate orbatus Marleburgius omnium oculos, nostrosque proinde in se converteret. Etiamsi ad posticam Regii Throni partem clanculum de more statuti essemus, exacte observare valuimus, qua ratione novam in eo Consessu personam gereret Marleburgius, admiratique vehementer sumus eximiam dexteritatem Viri illius, ita cum singulis ejusdem Senatus Patribus se gerentis, perinde ac si nihil prorsus adversi ei contigisset. Causas omnes tantæ rerum commutationis in eo Regno factæ adeo distincte, & enucleate nobis narrabat Venetus Legatus, ut eo loquente Parutæ nostri Historias seu audire, seu legere arbitraremur. Is ipse vicissitudines alias paulo post exortas summa mentis solertia persensit, nam eventus suis omnino divinationibus responderunt. Vaticinatus mihi pariter eo tempore fuit, pro incredibili sua erga me benevolentia, Cardinalatus honorem; quare jocose aliquando ei dicere consuevi, evectum me ad istum fuisse ex Londinensi promotione. Nil dicam de innumeris humanitatis officiis, quibus nos hospites suos est prosequutus, nam quidquid dicerem, nimis quantum infra eorundem magnitudinem foret. Regiæ Legationis splendorem cuncta ejus cultus ratio præferebat; dignus denique tunc quoque noscebatur, qui Thronum, quo modo potitur, conscenderet.

CAPUT V.

Ab mense Mart. an. MDCCXI. *usque ad Majum ejusdem anni.*

PRope finem Martii relicta Anglia in Hollandiam, tabellaria, veluti antea, navi vecti remeavimus, ut inde in Belgium primo, deinde in Galliam tenderemus. Aliquot tamen diebus rursus perstitimus Hagæ Comitum. Ibi vero omnibus horis, ut ita dicam, Passionei lateri hærebam, quod literariam meam ingluviem adeo non explevissent colloquia cum eo ante iter Anglicum a me habita, ut potius eandem acuerint. Quare ut primo ipsum salutavi, Terentianis verbis sum usus, *Plenus rimarum sum, Hac illacque perfluo.* Haud quievi ergo, priusquam ipsi enumerassem quantum eruditionis in Anglia reperire mihi datum fuerat. Vicissim ille nunquam conticuit, donec lacteus prorsus eruditionis suæ humor uberibus velut distentis manasset. Uno verbo, recensenti mihi Eruditorum Britanniæ catalogum, eorundemque lucubrationes, quod ea omnia Passioneus, ac si toto vitæ suæ tempore eam insulam incoluisset, æque pernosceret, mihi, inquam, ingeminandum subinde fuit Virgilianum illud, *Quidve moror? si omnes uno ordine habetis Achivos.* At nostrarum hujusmodi concertationum jucun-

cunditatem longius repente abegit, imo in luctum convertit Legati Fuscareni obitus, qui illis ipsis diebus evenit. Ad eum longo morbo tentatum Nicolaus ex fratre nepos, Eques, & D. Marci Procurator, Venetiis accesserat, vixque is redintegratam jam Patrui valetudinem ratus, iter ad repetendam Patriam lætus fuerat aggressus, morbo ille succubuit. Acerbissimus mihi, fratrique meo contigit obitus ille; eaque tristitia affecti, de Hollandia quam citius deserenda cogitavimus. Passioneo vale dicens ab ipso percontatus sum, quosnam nacturus forem Eruditos in Batavis iis civitatibus, quæ mihi Belgicas oras appetenti occurrerent. Multos ille nominavit, inprimis vero Gronovium, & Perizonium, celeberrimos Academiæ Lugduno-Batavæ Professores. Subdidit deinde, sibi valde dolere, mihi recta in Belgium pergenti occasionem defuturam visendi Daventriam, & Trajectum, ac propterea Viros eruditissimos Gisbertum Cuperum, Adrianum Relandum, & Franciscum Burmannum. Horum omnium non tantum nomina, sed Opera etiam explorata mihi reddidisse quotidianas meas ad Magliabechium aditiones, statim respondi, Cuperique præsertim, quod inter hunc, & Magliabechium admodum frequens intercederet epistolicum commercium. Relandi Dissertationes nominavi, Petronium Burmanni, & Historiam trium

trium Gordianorum Cuperi. Subdidi, in postremi hujus Epistola (nisi memoria me falleret) plausus ab eo editos ob Passioneum sua tecto exceptum, me, paulo ante quam Florentiam desererem, legisse. Fassus est Passioneus, se vere in Cuperi ædibus hebdomadam, & amplius recens transegisse, ac summa cum voluptate ob admirandam Viri ejusdem eruditionem, morumque singularem suavitatem. Venit mihi tunc in mentem de Brenkmanno sciscitari, quem noram Florentiam seu jam profectum esse, seu cito profecturum ad inspiciendum celeberrimum Exemplar Mediceorum Pandectarum, novamque eorundem Editionem adornandam. Quod evanescere jam inciperent antiquissimi ejus Exemplaris literæ, non defuit qui Cosimum III. suaderet, ut minime sineret, ejus Editionis causa rursus Brenkmanni manibus pretiosissimum illum Codicem contrectari, quod inde timendum foret, ne eædem literæ prorsus abirent, nec amplius in posterum legi possent. Cosimus autem pro incredibili erga me humanitate, hanc quæstionem solvit, decernendo, ut Codicis illius statum ipse oculis meis perscrutarer, ac deinde judicium ferrem, num idoneus foret, qui absque gravi detrimento collationi, quam Brenkmannus meditabatur, deserviret. Hujusce hominis proposito mea favit sententia. Hæc quum audisset Passioneus, id unum subjunxit, ab Jacobo Gro-

Gronovio Lugduni Batavorum me plura auditurum de Brenkmanni proposito illo, quod vehementer carpebat, atque irridebat, laudabat contra Lælii Taurelli consilium, qui in Editione Pandectarum, quam jussu Cosimi I. confecerat, sapienter admodum Codice illo Mediceo usus fuisset. Demum adeo avide sermones hujusmodi mecum miscebat Passioneus, ut comitem nobis humane se præbens usque ad locum, ubi stabat navicula, qua Delphium Haga Comitum transveheremur, eosdem haudquaquam abruperit neque eo temporis momento, quo illam post mutuos amplexus una cum Fratre conscendi; nam memoria mea fixum manet, tunc mihi ab illo exprobratam fuisse omissam a me in Anglis Eruditis recensendis mentionem celeberrimarum Editionum Anacreontis, Euripidis, & Homeri, quarum author Josua Barnesius, nec non Ovidii, Horatii, Plinii junioris, quæ ex Joannis Massonii calamo prodierant. Procedebat jam navicula, & adhuc Passioneus e litore clamabat, ut a Gronovio rescire curarem, quænam fuisset causa, cur, dum in Pisana Academia literas humaniores doceret, vel ipsum contubernalem suum Henricum Cardinalem Norisium in numero hostium duxerit, seu melius, eundem velut hostem fuerit insectatus.

Haga Comitum digressi, viam statim inivimus Leidam versus, quo appulsi trium dierum spatio

ibidem ſubſtitimus. Commoratio illa ut mihi omnino jucunda evaderet, in cauſa fuerunt Gronovii, Perizonii, aliorumque ejus Athenæi doctorum Virorum officia. Perizonium lecto detineri reperi ex morbo, qui tamen minime vetuit, quominus preſto ille eſſet ad diſſerendum de literariis argumentis quibuſcumque a me eidem propoſitis. Converti ſermonem præſertim ad controverſias, quas cum Viris doctis exercuerat, & inprimis nuperrimas cum Clerico, Gronovio, & Kuſtero. Eas itaque ipſe mihi diſtincte narravit, indeque occaſionem cepit integram ferme ſeriem operum ſuorum pertexendi. Origines Babylonicas, & Ægyptiacas eo tempore prælo ſubjecerat, affirmavitque mihi, paratas quoque ſe habere Aſſyriacas. Plura a me ſciſcitatus eſt de Magliabechio, cupidumque ſe oſtendit epiſtolicum commercium cum eo ineundi. Fidem ipſi feci, Perizonii Commentarium in Variam Æliani Hiſtoriam audiſſe me ſæpe Magliabechium ad ſydera efferentem, addidique, ab Operis illius mecum a Magliabechio communicati lectione Græcanica mea ſtudia quodammodo incepiſſe. Gronovius autem quotidie mecum adfuit, eumque ex Cathedra Prælectiones habentem ſemel, iterumque audivi, in quibus, neſcio quo pacto, occaſionem captavit Exercitationes quaſdam Academicas, quas a multis jam annis in lucem ediderat, refricandi. In ſuis vero colloquiis recenſuit mihi

hi ferme absque intermissione libros a se conscriptos, quorum elenchum hic recitare longum foret, imo nomenclaturam tantum proferre doctorum Virorum, quos in iisdem libris insectandos susceperat, & quidem ea maledicentia, quæ humanarum literarum Professorem maxime dedeceret, remota scilicet ab omni humanitate. Emendationes in Menandrum editæ a Bentlejo, pariterque Philemonis fragmenta a Clerico vulgata, quod recens prorsus prodiissent, Gronovii bili contumeliarum plaustra subministrarunt. Uno verbo, nemini parcere mihi videbatur, ac proinde ejus oratio immensum distare a modestia, cujus leges Joannes Fridericus, ejus pater, in omnibus suis Scriptis studiose servasse dignoscitur. Certior fieri a me cupiit de rei literariæ in Italia statu, ac præsertim in Athenæis Patavino, & Pisano; subinde vero narrationes meas abrumpebat, ut suas immisceret de Cathedra Pisana, qua potitus olim fuerat, & de Patavina sibi oblata post mortem Octavii Ferrarii. Paratum etiam se exhibuit quinam fuerint sui in Italia casus mihi exponere, at ne id accideret studiose cavi, ne bilis amara, quæ, ut jam noram, ejusdem animum coquebat eorundem causa, magis, magisque turgescens longius propelleret jucunditatem omnem, quam ex eruditorum colloquiis capere satagebam. Respondi itaque, exploratos eos omnes casus mihi reddidisse Ma-

gliabechium; quo nomine audito mox ille reposuit, sibi semper favisse Magliabechium, quippe qui optime nosset, quantum invidiæ in Etruria sibi objectum fuisset, & quam juste eidem cesserit, invidis, & amicis una simul valedicendo. Gronovii Epistolam in scriniis meis servo, quam ad me dedit, dum Lutetiæ versararer. In ipsa gratulatur mihi moram, quam in ea urbe trahebam, Helicone ipso (ut ejus verba usurpem) ab omnibus rebus, quæ studiis auxilio esse possunt, magis copiosam; Heroum, præsertim, apud quos hospitabar, industriam, & gloriam extollit, Quæ, inquit, ubique fulget, & bona fide celebratur, sibique quotidie in Hieronymo, & Augustino ante oculos est. Quid autem sit, quod in ea Epistola subdat, Lutetiam a se amari vix posse, quia coli a se quondam detrectavit, minime intellexi. Id scio, Gronovium aliquo tempore Parisiis degisse, nec ei existimationem, & officia doctorum Virorum, cujusmodi fuere Capellanius, Herbelotius, & Thevenotius, defuisse. Tandem haud parum erga me officiosos Leidæ nactus sum Casimirum Oudinum, publicæ Bibliothecæ curatorem, ex Professoribus autem (nam eo circiter tempore munus illud accepit) Jacobum Bernardum, ex Cleri Primatibus Hussenium (*van Heussen*) cujus non nomen dumtaxat, sed plura etiam gesta, dum fungeretur Provicarii munere, quod in ipsum contulerat Petrus Coddæus,

dæus, Florentiæ ſat bene compereram ex Cauſæ Queſnellianæ, & Cauſæ Coddæanæ libris, quorum ibidem verſandorum occaſio mihi non defuit. Oudinus jam a viginti circiter annis Catholicæ Fidei deſertor, Leidam ſe receperat, dumque eo pertranſii, nonnulla Opuſcula publicaverat; vacabat vero Commentario de Scriptoribus Eccleſiaſticis conficiendo. Bernardum valde celebrem effecerant libelli, *Nouvelles de la Republique des lettres, & Bibliotheque univerſelle de Monſieur le Clerc*, quorum bona pars ipſius diligentiæ debebatur. Huſſenius lugubrem de ſtatu Miſſionum Hollandiæ mihi cecinit næniam, de qua ſtatim dicam.

Delphos, poſt Leidam, adnavigavimus, locumque illum ingreſſi, ut primum e lintre deſcendimus, ex inopinato obvium mihi ſe fecit Ludovicus Paulus Vaucel, quem ſemel Florentiæ videram, & cum eo colloquutus fueram, Turellio, cujus ſuperius facta eſt mentio, ipſum ad me deducente. Hic poſtquam Roma, ubi per annos viginti moratus fuerat, negotiis ſacrarum Hollandiæ Miſſionum implicatus, exceſſiſſet initio Pontificatus Clementis XI. & per plures Italiæ civitates ſub nomine Vallonii delitefcens erraſſet, tandem in Hollandiam ſeceſſerat. Affirmavit ipſe mihi ſtatim, innotuiſſe ſibi meam ad illas regiones migrationem ex Italicis primo literis, deinde ex quampluriмis Batavorum, ac noviſſime ex iis,

quas ab Hussenio acceperat. Postero die valde mane domi me convenit, totusque fuit in lugubri Historia referenda miseri status, ad quem temporum (ajebat ille) iniquitas Apostolicas in iis partibus Missiones redegerat. Feraciorem autem materiam suis illis querimoniis ministrabat obitus, qui ante paucos menses contigerat Petri Coddæi, Archiepiscopi Sebasteni, & Vicarii olim Apostolici. Hominis illius narrationes frequenter ego interpellabam, candide professus, tristem eum rerum statum unice deberi illorum pervicaciæ, qui Sanctæ Romanæ Sedis jussionibus obtemperare renuebant. Demum, id vel maxime sermone suo Vallonius contendebat, ea negotia nunquam compositum iri, nec unquam accidere posse, ut novus Vicarius a Romano Pontifice renunciatus tranquille admitteretur, seu ex Cleri Catholici, cui præesset, voluntate, seu ex Fœderatarum Provinciarum authoritate, quin ipse Vicarius, & Clerus eximerentur a subscribendo Alexandri VII. Formulario, seu Bullæ *Vineam Domini Sabaoth*. Memini, me indignatum ad hæc respondisse, Sanctionibus ergo illis *Martia non vidit majus arena nefas?*

Iterum postero die Vallonius me revisit, atque ab eo, quum vix pedem meo in cubiculo posuisset, petii, ut nullus amplius inter nos sermo fieret de Missionum negotio, namque *sat*, dixi, *prata biberunt*; contra vero magnopere

pere sitirem ea cognoscere, quorum, dum Romæ degeret, pars ipse magna fuerat, quæ nimirum spectarent ad causas seu Regaliæ, seu doctrinæ Michaelis de Molinos, seu historiæ cultus Sinensium, seu Nodi Prædestinationis impugnati. Satisfecit ille abunde meo desiderio, multaque narrationibus suis immiscuit de rebus gestis a Pavillonio Episcopo Aletensi, atque a Cauleto Episcopo Pamiensi, de sua cum Arnaldo consuetudine, de Scriptis Nicolai Charmoti, pariterque Charlas Jurisconsulti, utque alia prætermittam, de utili opera, quam Favorito Romano Præsuli commodaverat in gravibus negotiis hujus fidei ab Innocentio XI. commissis. Utraque ista cum Vallonio congressio, exhibitaque in eadem a me qualiscumque Missionum Hollandiæ peritia causam dederunt rumori cuidam, qui paulo post in iis regionibus invaluit, nimirum demandatæ mihi a Clemente XI. provinciæ diligenter investigandi, an aliqua suppeteret ratio tantis turbis compescendis opportuna. Rumoris hujuscemodi certiorem me fecit idem Vallonius literis suis Lutetiam ad me transmissis die 13. Jul. an. 1712. addiditque in iisdem, ab Hollandiæ Clero propositam recens fuisse Internuncio Apostolico Bruxellensi conditionem, quam ipse Vallonius omnino idoneam rebatur paci, de qua agebatur, statuendæ, videlicet ut Bulla *Vineam Domini Sabaoth* in omni-

nibus Ecclesiis, & Sacellis Catholicorum publicaretur, hacque de re solemne conficeretur Instrumentum eidem Internuncio contradendum ad indubiam facti probationem; dummodo tamen ipse Clerus ad Bullæ subscriptionem haudquaquam adigeretur. Subdidit, recens electum a Romano Pontifice Vicarium eo officio se libenter abdicaturum, quo Missionum turbæ sedarentur.

Delphis relictis ad Roterodamensem urbem recta perreximus. Ista reliquas omnes Hollandiæ, magnitudine, mercatura, & divitiis exsuperat, si unum excipias Amstelodamum. At præ hisce omnibus statim avidis oculis perquisivi publica monumenta ibidem erecta ad honorandam Desiderii Erasmi memoriam, & præsertim æneam statuam, de qua Florentiæ inaudieram vulgo ferri, folia libri, quem manibus gerit, subinde ab ipso Erasmo versari. Biduo, quo Roterodami permansimus, etsi eundo, & redeundo centies, ut ita dicam, statuam illam, eumque librum attente observaverim, immota semper ea folia manere deprehendi; quumque ejus rei testes esse precarer quotquot mecum aderant, nemo prorsus ex ipsis dictum meum istud jocosum in serium convertit. Præterea cupiditas me cepit, Petrum Jurieu alloquendi, quem noram Ecclesiastis, ut ajunt, officio in ea urbe fungi. Casu mihi iste occurrit, dum sellula gestatoria ad munus

nus suum obeundum deferretur. Ea commoditate uti solebat, quod ad octoginta circiter annorum ætatem jam pervenisset, & præterea afflicta valde foret valetudine. Tacite ejus vestigia sequutus, concioni, quam habuit, interfui, quumque ea absoluta in cubiculum Ecclesiæ adjacens sese recepisset, comiter passus est, ut ad ipsum accederem, brevibusque me colloquiis detinuit; nec enim longioribus locum dedit languor, quo corripi se sensit. Plura tamen mihi retulit de suis cum Bayle, Basnagio, & Saurino contentionibus, plura etiam de disputatione inter Fenelonium Archiepiscopum Cameracensem, & Bossuetum Episcopum Meldensem; at ne verbum quidem fecit de jurgiis inter se ipsum, & Arnaldum, aliosque hujus socios. Obiit Jurieu an. 1713.

Hunc ergo finem habuit Batava mea commoratio. Hanc patriæ suæ, potius quam mihi ipsi, gratulari voluit in literis benevole ad me Lutetiam Florentia datis Henricus Brenkmannus, a quo superius retuli susceptam fuisse Pandectarum ex Codice Florentino emendationem. Earum literarum exordio bene memorem se exhibet studii, quo suo illi labori favere non omiseram apud Magnum Etruriæ Ducem, deinde officiosius adhuc profitetur, prope esse, ut Bataviæ suæ invideat, quod ipso absente suo me sinu exceperit, foveritque aliquandiu; subditque, absentiam suam æque molestam sibi

bi accidisse, ac Perizonio acciderat, quemadmodum ex hujus literis intellexerat, adversa valetudo, qua conflictatus haud valuerat ad me invisendum accedere. In reliqua epistola desiderium explicat, quo flagrabat, in patriam per Gallias remeandi, Ut sibi liceret, tot egregios Viros compellare, tot insignes Bibliothecas consulere, tot excellentia artis, & regiæ magnificentiæ monumenta, quæ se per illas regiones peregrinantibus ostendunt, debita cum admiratione contemplari. Cumulat denique eximiis laudibus eruditos San-Germanenses, & inprimis Montfauconium, quem præclarissimum Monastici Ordinis coryphæum appellat. Data est epistola ista Brenkmanni VII. Cal. Nov. 1712. Florentiæ. At, priusquam e Batavia egrediar, liceat mihi hoc loco epistolam quoque laudare, quam ad me integram proprio calamo exarare dignatus est Cosimus III. Magnus Etruriæ Dux, quippe quæ & fidem facit studii a me in Batavo hoc itinere collocati ad promovendum pro modulo meo Catholicæ Religionis bonum, & testatur etiam eximiam pietatem, qua toto vitæ Ille suæ tempore admirandum in modum enituit, primas ejus pectoris curas sibi vindicasse, vel inter obitas ab ipso longinquas ætate admodum florenti peregrinationes, dum ea audiendo, & videndo delectaretur quæ summopere distarent ab iis voluptatibus, quibus potissimum persequendis pas-

passim hujuscemodi itinera suscipi a paris conditionis Principibus consueverunt. Recitabo ipsamet verba ejusdem epistolæ, etsi meam quoque laudem ex parte attingant; nam suo jam loco professus sum, singularem omnino fuisse Principis illius erga me benevolentiam, nullo prorsus meo merito. Post officiosissimum exordium hæc ille habet. *Io benedico Dio di vedere il suo zelo per la cognizione, ch' ella ha procurato di dare in questo suo viaggio agli Eretici della nostra Santa Religione, e V. P. che Dio gli ha dato e tanta scienza, e tanta prudenza, e un naturale così amabile, può più Ella fare che cinquanta, o cento altri Religiosi. Io ho una somma stima, e venerazione delli nostri buoni Cattolici d'Ollanda, che non ho visto gli simili in tutti i miei viaggi.* Aliqua postea habet de Provicario ab Apostolica Sede post Coddæi mortem electo, *Che gli Signori Stati non vogliono che eserciti qualsisia, benchè minima autorità nel suo Dominio, e così si distrugge la nostra Santa Religione in quei Paesi. V. P. che ha vedute queste miserie potrebbe forse con il farle conoscere a Roma a qualche suo Amico dare un grande ajuto a quelli poveri Cattolici.* Tandem summa benignitate certiorem me facit de Cardinalis Francisci Mariæ, fratris sui, obitu, *Mentre l'accerto del mio desiderio di servirla, come la stimo uno de' miei più cari amici, gli partecipo la crudel perdita, che io ho fatta del Sig. Principe Francesco*

cesco Maria mio Fratello, che sia in Cielo. Hæc omnia ex ea Epiſtola recitare haud erubui, quod, ut dixi, Coſimi III. Clementiam unice commendent; contra vero juſta erubeſcendi cauſa mihi foret, niſi occaſionem omnem captarem celebrandi quidquid ſuaviſſimis in principe illa Etruriæ urbe me per tria circiter luſtra irretivit illecebris, unde factum eſt, ut Cecropiæ, quæ in eadem inſigniter colebatur, Minervæ, me reliquo omni ævo totum addixerim, adeo ut ejuſdem ſacris, annoſus modo æditiuus magna adhuc cum voluptate inſerviam.

Ex Hollandia hilariter ad Belgicas terras acceſſimus, pervenimuſque initio Hebdomadæ Sanctæ Antuerpiam. Advolavi ſtatim ad Ædes Jeſuitarum, ubi Papebrochius, aliique illuſtres Actorum Sanctorum Collectores degebant. Optimum eum ſenem ut primo ſum alloquutus, tanta me cepit lenitatis, ac ſuavitatis, quam ejus vultus, & verba præferebant, admiratio, ut in hanc e veſtigio eruperim exclamationem, Hiccine novus Iſmael, cujus manus contra omnes, & omnium manus contra eum? hiccine præferox ille homo, quem Hiſpani Carmelitæ jacula, & ſaxa prægrandia undique jacientem ſibi viſi ſunt intueri, uno verbo *bombardizantem* in Actis Sanctorum? Riſit ad hæc Papebrochius, meque ſatis edoctum intelligens de iis controverſiis, quæ inter ſe, & Monachos illos exarſerant, nihil antiquius

quius habuit, quam ut anecdota quædam de illatis sibi per adversarios illos contumeliis, deque vicibus, quas iisdem animose reddiderat, haud omnino brevi sermone mihi enarraret. Per biduum, quo in ea Urbe substiti, matutinis, vespertinisque horis Papebrochium conveni, nec tamen unquam ejus colloquiis exsaturatus abscessi. Agebat ille eo tempore annos octoginta tres, ac proinde parum idoneum se sentiens laboribus iis continuandis, quos maximum illud opus Actorum deposcebat, cubiculo suo inclusus conscribendis Annalibus Antuerpiensibus se dederat. Hos magna ex parte affectos mihi exhibuit, nec tamen puto in lucem unquam prodiisse. Janingus, Solerius, & Barthius Acta illa prosequendi curam susceperant, cumque iis etiam semel, iterumque colloquendi occasionem habui. Hospitabatur eo tempore in ædibus illis Jesuitarum Emmanuel Theodosius Cardinalis de Bouillon. Hic nos ad ipsum salutandum accedentes humanissime excepit, & plura narravit de causis suæ in regionem illam e Galliis secessionis.

Antuerpia Bruxellas commeavimus. Eo advectus, mirum, quo ardebam, desiderium Humbertum de Precipiano, Mechliniensem Archiepiscopum, in urbe illa morantem conveniendi festinis gressibus implevi. Benigne ille sua ad alloquia me admisit, moxque ex iisdem vera esse di-

dignovi, quæ de eximio ejus Præsulis zelo pro vindicanda orthodoxa Fide adversus Jansenistas seu legeram, seu inaudieram, adeo ut ex ejus Cubiculo egressus quibusdam ex Clero, qui ibi aderant, me percontanibus, quidnam mihi de Præsule suo visum foret, responderim poetico hemistichio *Incoctum pectus honesto*, pectus scilicet me vidisse sancto zelo exardescens. In iis alloquiis comiter mihi exposuit summam eorum omnium capitum, quæ in libro *Quesnelliana Causa* inscripto diligenter jam a me animadversa fuisse lætabatur. Acerbe autem conquestus est, ut bene memini, de Paulo Ernesto Ruth, & de Gulielmo Vande Nesse, qui Bruxellis eo tempore degebant, hic Parochus S. Catherinæ, ille Canonicus S. Gudulæ. In ea ipsa Ecclesia Collegiata S. Gudulæ præsens adfui Missæ Feriæ Quintæ solemniter celebratæ a Præsule Suffraganeo. Præcipianus enim Archiepiscopus per ætatem valde provectam, & male affectam valetudinem vix, aut ne vix quidem e Palatio suo pedem movebat. Dum ad ipsum ingressus sum, in lectulo quodam sellæ instar constructo jacebat, Marianum Rosarium manu gestans, plaudensque subinde psittaco cuidam, ex cujus voce seu sono fassus mihi est magnam se capere oblectationem.

Bruxellis ut a fratre per aliquot dies sejungerer, effecit ejus desiderium acies visendi a Prin-

Principe Eugenio, & Duce Marleburgio in iis partibus dispositas, cum utroque colloquendi, & initas ab iisdem belli gerendi rationes, quoad liceret, explorandi. Huic autem desiderio prætuli ego utilitatem, quam percipere me posse sperabam, adeundo Lovanium, & alia loca, unde mihi Ecclesiasticæ, & literariæ rei in Belgio status innotesceret. Postquam solum absque fratre relictum me vidit Grimaldus, Internuncius Apostolicus, pristina quæ mihi impenderat humanitatis officia magis magisque adaugendo, curavit, ut publicum diversorium deserens hospitium caperem in ejus ædibus; at ipse gratiis actis eundem exoravi, ut ejus ope hospes reciperer in Collegio Patrum Societatis Jesu; atque ita evenit ex benignitate cum Grimaldi Præsulis, tum eorum Patrum. Per tres, aut quatuor dies, quos apud ipsos peregi, Belgicæ geographiæ addiscendæ totum me dedi, atque ita mihi in eo studio profecisse visus sum, ut tractus omnes ejus regionis absque duce, & socio peragrare me posse confiderem. Studio illo incensum me iidem Patres dum conspicarentur, id eorum benevolentiam mihi singularem in modum conciliavit, indeque nonnulli ex ipsis paratos sese exhibuerunt ad tradendas mihi uberiores notitias eorum locorum, ad quæ divertere statueram. Diverti autem primo ad Academiam Lovaniensem, hospitiumque mihi in Collegio,

gio, quod Hadriani VI. nominatur, humane præbuit ejus Rector. Quatriduo ibidem commoratus sum, & cum præcipuis ejusdem Academiæ Doctoribus nullam ferme diei horam non transigens, facile edoctus sum de iis omnibus, quæ eosdem illa tempestate studia in diversa scindebant. Primas inter ipsos tenebant Hennebelus, Opstratius, Espenius, & Pater Delbecque, Roma, quo pergentem ante annos decem circiter fuerat comitatus Coddæum Archiepiscopum, ad Lovanienses suos lares regressus. Ii omnes innumera, ut ita dicam, mihi narrarunt de turbis, quibus obnoxia erat ea Universitas, culpamque uno ore regerebant in Patrem Desirantium, qui Aquisgrani sedem fixerat post sententiam die octavo Maii 1708. a Regio Magistratu latam, causam adversus ipsum agentibus præsertim Doctoribus jam jam nominatis Hi Antonium Parmentier, Doctorem & ipsum Lovaniensem, Scriptis suis haud minus insectabantur. At prolixius, familiariusque, quam cum iis omnibus, sermocinari mihi perlibuit cum Patre Levino Meyer, Societatis Jesu, & plurima ab eo intellexi de concertationibus, quæ inter ipsum, illosque Doctores intercedebant præsertim ob Historiam de Auxiliis, quam evulgaverat assumpto nomine Theodori Eleutherii.

Tot, tantisque notitiis instructus Bruxellas re-

repetii, inde properaturus ad invisendas insignes alias urbes, nimirum Gandavum, S. Audomarum, Tornacum, Duacum, Atrebatem, tandemque Cameracum. Remorati autem sunt aliquantulum meam illam festinationem Bruxellenses mei hospites, nec enim sinebant me ex eorum Collegio discedere, donec ipsis singillatim exponerem quæcumque ex Lovaniensi commoratione & oculis, & auribus hausissem. Gandavi hospitium mihi omnino benevole præstitum fuit in Cœnobio S. Petri, pariterque Tornaci in Cœnobio S. Martini, nec minorem humanitatem expertus sum, dum Abbatias Marcianensem, Aquicinctinam, Elnonensem, seu S. Amandi, & Bertinianam S. Audomari lustravi. Duaci hospitio me exceperunt Monachi Angli, qui in ea urbe congregantur, ut iis præceptis, & institutis formentur, unde idonei reddantur ad Hæreticos suæ gentis Catholica Fide, ac doctrina imbuendos. Paris rationis extat in eadem urbe Collegium Anglorum Presbyterorum, hocque illud est, unde facta est mihi nuperrime comunicatio plurium veterum monumentorum ad res gestas Cardinalis Reginaldi Poli spectantium, cujus liberalitatis gratias, quas debebam, præclarissimo Cardinali de Alsatia publice egi, nimirum in Epistola Nuncupatoria tertii Tomi literarum Poli Collectionis. In urbe Atrebatensi hospitatus sum apud Benedictinos, scilicet in Mo-

nasterio S. Vedasti. Loci Episcopus Seves de Rochechouart jam mihi in Italia notus ex damnatoria sententia, quam inflixerat in Tractatum de Gratia a Doctore Gilberto compositum, atque ex damnatis pari modo Operibus Moralibus Jo. Baptistæ Tabernæ, & Georgii Gobati, de his ipsis argumentis longo sermone me detinuit, seu dum ipsum invisi, seu dum humanissime accessit ipse ad me invisendum in Vedastinis ædibus. Celsissimam earundem turrim conscenderam, dum mihi nunciatum fuit, Episcopum jam adesse in Monásterio, quare celeri descensu eidem occurri, eumque his primo verbis sum affatus, *Monseigneur, Vous m'avés trouvé au plus haut point de votre Diocese*. Dictum hoc meum Monachorum, qui præsentes aderant, auribus ingratum accidisse animadverti, causamque statim divinavi, quod suum illud Cœnobium haudquaquam intra Diœcesis fines contineri propugnarent. Iidem Monachi multa mihi narrarunt de dissidiis, quæ inter ipsum Antistitem, & Patres Jesuitas exarserant, atque inter cætera retulerunt, non defuisse qui censerent, eundem curasse, ut Gobati Opera, etsi Coloniæ impressa, præseferrent tamen in fronte *Duaci* nomen, quo justius paterent ejus censuræ, nam Duacum situm est in Diœcesi Atrebatensi.

Cameracensis urbs Belgici mei itineris meta ultima futura, eam quoque si dixero fuisse,

quæ

quæ, præ reliquis omnibus in ea regione jam lustratis, desideria mea ad se pertraxit, & rapuit, profecto non mentiar. In Monasterio Benedictinorum, quod Sancti Sepulchri dicitur, diversatus, assiduus tamen fui apud Fenelonium Archiepiscopum, ipso id a me incredibili comitate postulante, quamvis eo tempore oppletæ forent ejus ædes primariis Gallicarum copiarum ductoribus, & magnopere ipsum occuparent omnigenæ humanitatis officia, quæ in eosdem conferre sollicite satagebat. Hærent memoriæ meæ argumenta omnia, quæ a Præsule illo seu narrata, seu disputata sitientibus auribus captavi; & præterea quænam ea fuerint, oculis meis fidem nunc etiam faciunt plures ejusdem literæ, quibus nihil extat pretiosius in scriniis meis, nam præseferunt singula earum verba egregium animum, quo ille ferebatur ad Catholicam causam adversus errores Jansenistarum tuendam. Aliquas ex iis literis ad me dedit, dum Lutetiæ morarer, alias dum in Italiam rediturus per Gallias iter haberem, alias denique, postquam in Italiam remeassem. Primarum dumtaxat hic afferam partem, reliquasque suis locis reservabo. *Rien ne peut me donner* (hoc est initium earum, quas ad me scripsit, gratulatus prosperum meum Parisios adventum) *plus de joye M. R. P. que les marques tres obligeantes de votre amitié. J'espere &c.* Deinde de collo-

quiorum noftrorum argumentis ita fubdit, *Je reſſentis beaucoup de peine, quand vous partites de Cambrai. Je ne voulois point vous laiſſer partir ſans eclaircir avec vous l'endroit de S. Auguſtin, dont vous aviès commencè a me parler. Si vous etes libre de repaſſer ici apres votre ſejour a Paris, je vous ſupplierai de me donner un tems un peu commode, ou nous aurons tout le loiſir de traiter la matiere a fonds.* Hujufcemodi defiderium meæ Cameracum reverfionis benigne pariter aperit in aliis poft aliquot menfes exaratis, *J'eſpere quand vous partirès par l'Italie, vous ne me refuſerès pas de venir paſſer par Cambrai. Je vous offrirai alors un equipage, & je vous y recevrai avec la plus parfaite reconnoiſſance.* Fratris mei Cameracum adventus accelerandæ in Gallias profectioni caufam dedit. Quam benigne, quam dulciter conqueftus fuerit idem Fenelonius, poftquam intellexit, Lutetia relicta me haud quidem recta in Italiam iter cepiffe, fed huc, illucque per Gallicarum provinciarum tractus curfitare, patefacient allegandæ fuo loco ejufdem Epiftolæ. Hoc autem paucula ifta dumtaxat verba laudabo, *Quoi, vous etes courant par toute la France ſans avoir voulu venir a Cambray? quelle cruautè? quel manquement de parole? Eſt ce donc ainſi, que Vous etiès preſſè de retourner en Italie?*

Finis Libri Primi.

LI-

LIBER SECUNDUS.

De triennali in Galliis commoratione a menſe Majo an. MDCCXI. ad Majum an. MDCCXIV.

CAPUT I.

De ſtatu literaturæ in San-Germanenſi Lutetiæ Cœnobio.

MEnſe Aprili ad finem vergente Lutetiam verſus iter Frater, & ego arripuimus; illudque mirum in modum alternis ſermonibus oblectavimus. Ego ſiquidem urbes a me obitas, & Monaſteria luſtrata recenſens, intentum quammaxime eundem tenebam; hujuſque ab ore viciſſim pendebam, dum mihi militaris rei ſtatum, quem diligentiſſime obſervaverat, habitaque colloquia cum Eugenio Principe, ac Duce Marleburgio, quorum etiam menſis frequens accubuerat, referret. Lutetiam ingreſſus, celeri curſu ad San-Germanenſes meos contendi, ac præ deſiderio eos amplexandi mora mihi viſa eſt vel ipſa pernicitas. Haud minus propere, Montfauconius, & alii Monachi, ſtatim ac norunt, me in clauſtris jam adeſſe, e ſcalis deſcenderunt. Quanta fuerit eorum animi, Montfauconii præſertim, in lætitia effuſio, dum nos inter nos complecteremur, haudquaquam mihi ſuppetunt verba, quibus declarem. Obſtupuit

Frater, mutuam illam ſuavitatem conſpicatus, faſſuſque ingenue eſt, ſibi ea occaſione innoteſcere, ex Monaſtici ſodalitii vinculo, haud minus quam ex ſanguinis, arctiſſimam animorum conjunctionem poſſe exoriri. Gratulatus autem mihi, quod contubernalibus, qui me oculitus, & medullitus amarent, uſurus forem, poſt ſeſqui horæ ſpatium abiit ad domicilium, quod ſibi ſelegerat in San-Germanenſi ſuburbio, quippe quod præ reliquis Lutetiæ regionibus commodiores, & ornatiores ædes hoſpitibus præbet. Inter ſalutandum autem Monachos affirmavit, domicilium illud ſibi ea de cauſa præſertim gratum accidere, quod prope fratrem ſuum habitans, una ſimul particeps futurus foret maximæ illius felicitatis, qua idem frater frueretur ex ſodalium amantiſſimorum contubernio, ac dulciſſima familiaritate. Montfauconius ut primo me a Fratre deſertum conſpexit, avidius quam antea collo meo lacertos innectens, obteſtatus eſt, ut nulla interpoſita mora, viatorio licet amictu velatus, deduci me paterer ad Abbatiales ædes Cœnobio San-Germanenſi conjunctas, quas fiduciarius ejuſdem Abbas Cardinalis Deſtrees incolebat; nam de ſubita hujuſcemodi deductione ajebat Montfauconius ſe fidem ſuam eidem Cardinali obligaſſe. Non invitus feci quod petebat, admiſſuſque repente ad ipſius Cardinalis manum oſculandum, his me primo ver-

verbis affatus eſt, *Vous n'aurès jamais vu aſſurement des Abbès come cela en Italie, qui poſſedent des Abbayes, & qui logent la dedans ſans avoir l'habit de l'ordre Religieux; cependant il ne faut pas s'en etonner, car nous avons eu en France auſſi des Eveques vetus en cotte d'armes.* Hi fuerunt (e veſtigio reſpondi) Aurelianenſis, & Antiſiodorenſis, ni memoria me fallit, quorum loricam ad Innocentium III. qui valde querebatur, eoſdem a Philippo Rege Galliarum in pugna captos vinculis detineri, idem Rex Romam mittens his verbis uſus fuiſſe ab aliquo ex Gallis Hiſtoricis (nomen ignorabam) narrabatur, *Vide an tunica filii tui ſit, an non?* Subitam hanc eruditionem ingenti plauſu excepit Cardinalis, ac benigne admodum ſubdidit, ingenii mei alacritatem ſibi ſæpe ſæpius teſtatum fuiſſe Montfauconium. Quodnam iſte ex Italia in Gallias reverſus de ſtudiis meis teſtimonium perhibuiſſet ipſi Cardinali, ejuſdem Montfauconii referam verbis ex Epiſtola, quam ad me dedit, dum Brixienſes Infulas ſumma humanitate mihi eſt gratulatus, *Je n'apprens rien qui me ſurprenne, je prevoiois bien que le merite joint a la naiſſance retireroit bien tot V. Ex. de l'extremitè de la Grece, ou il ſembloit que vous fuſſiès releguè pour vous mettre dans un des plus importans ſieges de l'Italie. J'augure que V. Ex. n'en demeurera pas la, & que dans peu nous vous verrons* inter purpuratos.

Cela me fait venir envie de faire un voyage en Italie, pour avoir l'honneur d'y voir l'illustre, D. Quirino monter de degrè en degrè, bien seur qu'il ne me reguarderoit pas de haut en bas. Nous rappellerions les tems passès, nous ferions mention du fu Cardinal d'Estrèes, qui faisant l'eloge de D. Quirino me citoit toujours. D. Bernard, disoit il, l'a vu a Florence a l'âge de vingt ans brillant deja par son erudition. Combien de fois vous a t-il repetè cela? Combien de fois vous a t-il predit, que vous viendrès aux premieres dignitès!

Venio nunc ad literaturæ San-Germanensis statum, qualis scilicet mihi spectandum se dedit eo triennio, quod in Galliis peregi. Montfauconius, de cujus Operibus, antequam in Italiam migraret, superius mentionem feci, redux ex Italia in Gallias alia plura jam adornaverat, nimirum Collectionem Novam Veterum Patrum Græcorum, Palæographiam Græcam, Diarium Italicum, recens vero propugnandum susceperat Philonis Therapeutarum Christianismum, & Baptismum a S. Athanasio, dum infans foret, infantibus administratum. Me autem Parisiis degente Origenianorum Hexaplorum Editionem confecit, manum quam primum admoturus Editioni Operum S. Chrysostomi, item recensioni Bibliothecæ Coislinianæ, olim Seguerianæ, ac demum Collectioni Antiquitatum, cui se maxima

ma cum voluptate vacaturum mihi identidem affirmabat. Renatus Massuetus, postquam in tribus Ordinis sui Cœnobiis, scilicet Beccensi, Cadomensi, & Fiscamnensi Philosophiam, ac Theologiam tradens, nonnullis etiam editis lucubrationibus, præsertim ad tuendam Operum S. Augustini Editionem conscriptis adversus Abbatis Alemanni censuram, haud mediocriter inclaruisset, ad San-Germanense Lyceum accersitus, S. Irenæi Operum Editionem an. 1710. publici juris fecerat, ac postea operam dedit Annalibus Benedictinis contexendis, successor in ea provincia renunciatus Mabillonii, & Ruinarti; qua tamen, ut mihi sæpius fassus est, non ita delectabatur, ac pristinis studiis suis. De hisce proinde libentius mecum disserebat, quam de iisdem Annalibus, quorum eo quidem tempore in lucem emisit Tomum quintum, at qualem reliquerat Mabillonius, paucis tantum vel a se, vel a Ruinarto adauctum. An Henricum Dodvvellum, an Ernestum Grabbum, an Georgium Hikesium in Britannia vidissem percontatus a me est, & plura de iisdem sciscitatus, quod in hos omnes calamum stringere opus habuerint seu ipse, seu Ruinartus, seu Mabillonius. Joannes Martianæus studiis divinarum literarum, quibus instructus Hieronymianam Editionem elaboraverat, semper intentum se mihi exhibuit. Novum Testamentum ad Vulgatæ fidem

dem in Gallicum idioma vertendi curam adhibebat, quod Gallicas alias versiones erroribus scatere contenderet, idque editis paulo ante pluribus Observationibus comprobare curasset. De Joanne Clerico, & de Richardo Simonio, quos acres adversarios passus fuerat, frequenter sermonem mecum movebat, eoque libentius, quod de colloquiis inter Clericum, & me habitis Amstelodami certior jam foret, quodque speraret, me, antequam e Galliis excederem, curaturum, ut Dieppam adeundo, Simonium quoque alloquerer. Postremum hoc minime accidit; nam obitus Simonii Normannicam, quam postea suscepi, profectionem præcessit. Diligenter investigavi, quodnam foret sincerum eorundem San-Germanensium de Martianæo sodale judicium, ac deprehendi, opinatos istos fuisse, eundem nec contumelias promeritum fuisse, quibus oneratus fuerat ab Adversariis, nec etiam laudes, quas in ipsum contulerant Ephemeridum Parisiensium, & Trevoltianarum Scriptores. Haud dissimulabo, inter sodales illos nequaquam defuisse, qui Martianæi literaturam contemnerent prorsus, ac irriderent, narrabantque inter cætera hominis illius somnium in detegendo Antichristi nomine, quod non aliud nisi *Baricandel* futurum pro certo autumabat, ad hanc persuasionem adductus ex numeris in Apocalypsi ad illud designandum notatis, & insuper

ex

ex Aviæ cujusdam suæ auctoritate. Nicolaus Nourry olim in Monasterio Rothomagensi S. Audoeni operam suam præstiterat Joanni Gareto Operum Cassiodori Editori, & Jacobo Frische, qui S. Ambrosii Opera evulgavit. Laribus autem fixis Lutetiæ Apparatum ad Bibliothecam Veterum Patrum concinnandam animum appulit, jamque primum Tomum publicum fecerat, & alterum prælo parabat. Huic tamen præmittendum censuit an. 1710. librum Lactantii de Mortibus Persecutorum, quem acerbe querebatur in Ephemeridibus Hagensibus pessime habitum fuisse, ac propterea de Jacobo Bernardo earundem auctore nonnulla a me perquisivit. Probitatem singularem, ingeniique suavitatem plerique omnes San-Germanenses in Nicolao Nourry collaudabant, quas ipsas dotes jocose ipse affirmabat, jactabatque, quibuscumque suæ regionis hominibus, Normannis nimirum, ingenitas esse ex regionis ipsius bonitate. Michael Felibenius, Monasterii San-Dionysiani descriptor, quum eo Opere in lucem edito singularem suam peritiam in ejuscemodi argumentis pertractandis comprobasset, id illi promeruit, ut æque idoneus futurus censeretur, qui describendæ pariter Parisiensis Urbis provinciam acciperet, hæcque proinde eidem concredita fuit. Quare an. 1713. ejus Operis adornandi consilium publicavit, cujus tamen reap-

reapse perficiendi gloriam sodali suo reliquit, quod ejus labores mors interceperit. Petrus Coutantius valde insigne jam nomen assequutus ex S. Hilarii Editione, operam collocabat colligendis Romanorum Pontificum Epistolis Decretalibus, & una simul constabiliendis magis, magisque Vindiciis manuscriptorum veterum Codicum, adversus Germonium ante aliquot annos elucubratis. De postremis hisce frequentius mecum sermocinabatur, quod me callere intelligeret quidquid ad eundem Germonium refutandum conscripserant in Italia Fontaninus, Lazarinus, & Gattus, & quidquid etiam turbarum ab Abbate Faydit excitatum fuerat pro rejicienda lectione quadam, ab ipso Coutantio servata in Hilarianæ Editionis textu, ceu omnino germana, quam tamen idem Abbas, & alii etiam nonnulli ceu vitiosam, & ex Felicis Urgelitani hæresi procreatam habendam esse contendebant. Julianus Garnerius Editioni Operum S. Basilii conficiendæ insudabat; sodales tamen suos audisse me memini, quibus algere ille videbatur, potius quam sudare, nam operi illi a decem jam annis incumbebat. Hanc eorundem censuram exploratam habens Garnerius, causabatur frequenter provinciæ a se susceptæ arduitatem, & modeste etiam quandoque carpebat festinatas nimis quorundam ex ipsis lucubrationes. Claudius Guesnerius Bibliothe-

cam

cam San-Germanensem curabat. Is tabulam olim generalem Operum S. Augustini contexuerat; tunc vero vacabat novæ Editioni Glossarii Ducangii, quam mortuo illo Nicolaus Touteinus, & Ludovicus Pelleterius promoverunt. Antonius Augustinus Toutajus Parisios adscitus an. 1712. illico calamum suum accommodavit Editioni S. Cyrilli, eamque ad umbilicum ab eodem perductam publicavit post ejus obitum Prudentius Marranus, nonnullis de suo additis ad vindicandas cum Cyrilli doctrina Observationes etiam Toutaii adversus Trevoltianos Patres, qui censoriam virgulam in eam doctrinam distrinxerant. Carolus de la Rue, junior quidem, at Montfauconio valde charus, atque probatus jam tum Origenianorum Operum Editionem meditabatur, quæ postea in lucem prodiit. Edmundus Martene quamvis, dum in San-Germanensi Cœnobio degerem, ab eo ipse abesset, & per Galliæ provincias cursitaret veterum Monumentorum colligendorum caussa, semel tamen, & iterum cum ipso sum colloquutus ex suis illis peregrinationibus Lutetiam identidem repetente, & valde libenter ex ejus ore percipiebam, quam amplum ex iisdem pararet auctarium Collectionibus suis antea vulgatis, videlicet de antiquis Monachorum Ritibus, & de antiqua Ecclesiæ disciplina in divinis officiis celebrandis, ac tandem
Col-

Collectioni, quam inscripserat *Collectio nova veterum Scriptorum &c.* tribus Tomis comprehensæ. Hisce omnibus adeo amplum postea auctarium adjunxit, ut binos alios Thesauros Anecdotorum in quatuordecim Tomis complexus feliciter fuerit. Tandem memorabo Anselmum Bandurium, Ragusinum, Congregationis Melitensis Monachum, quem ope regiæ Cosimi III. M. Etruriæ Ducis munificentiæ Montfauconius Florentia Lutetiam secum traduxerat, ut selectioribus studiis inter San-Germanenses vacaret, unde idoneus fieret suæ illius Dalmaticæ Congregationis bono in rebus seu ad sacras literas, seu ad Monasticam disciplinam spectantibus consulere. Eorum studiorum specimen præbuerat ante meum in Gallias adventum Operum Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani Catalogo evulgato. Edidit vero, dum Parisiis adessem, Imperium Orientale, sive Antiquitates Constantinopolitanas in bina volumina digestas. Bandurii eruditionem, atque Opus istud ab ipso consarcinatum quam parvi faceret Justus Fontaninus, & ipse ex hujus ore intellexi, & publicum modo extat documentum inter Claror. Venetor. ad Magliab. Epist.

Quis crederet innumeras istas, exquisitasque dapes, quas literariæ meæ cupiditati singulis quotidie diei horis offerebat eorum omnium, quorum censum inivi, contubernium, adeo ean-

eandem famem non exemiſſe, ut animo aſſidue revolverem jacturam, quam feceram ex Mabillonii, & Ruinarti, & Lamy obitu, qui meum ad San-Germanenſe domicilium acceſſum haud multo ante præceſſerat? Fatis enim ceſſerat Mabillonius die 27. Dec. an. 1707. Ruinartus autem die 29. Sept. 1709. Lamy denique die 11. Apr. an. 1711. Poſtremi hujus obitus contigit in Monaſterio San-Dionyſiano, ubi pariter, eodemque anno menſe Martio vitam abſolvit Gabriel Gerberonius, de quo mihi ferebatur præſtantis virtutis exempla ediditſſe, poſtquam ex Vincennarum Caſtro ad Sodales ſuos reditum a Rege impetraſſet. Tantus amor meus erga San-Germanenſes, qui me adegit, ut quodammodo concupiſcerem ad vitam, ſi fieri poſſet, revocari quotquot ex ipſis recens eandem amiſerant, debebatur quidem non ei tantum liberalitati, qua prono veluti alveo eruditionis ſuæ latices in me derivaverant docti illi Viri, quos recenſui, ſed benevolentiæ etiam incredibili, qua me ſunt proſequuti, donec inter ipſos permanſi. Hanc innumeris teſtati mihi ſunt argumentis; at quoniam ad manus nunc habeo Coſimi III. literas, quarum aliqua excerpta ſuperius recitavi, eas ipſas teſtes adducam ſtudii illius, quo dixi eoſdem tenuitatem meam prorſus immerentem complexos fuiſſe. Quid ipſi de me ſentirent, apertum mihi fecit

cit idem Princeps allato in medium testimonio Patris Procuratoris Generalis Congregationis S. Mauri, qui Romam ad officium suum obeundum proficiscebatur, atque una simul testimonio Abbatis de Livry. Hic quoque nil mirum, si ad amicitiæ Parisiis mecum junctæ, potius quam ad veritatis normam habitos de me cum Principe illo sermones direxerit. Hæc Principis ejusdem literarum sunt verba, *Il Signor Abbate di Livry, che mi ha honorato di venire da me, mi ha detto quanto V. P. si faccia amare, e stimare la sua virtù & alla Corte, & a tutti gli Ecclesiastici; & poi il P. Procurator generale di S. Mauro, che passa a Roma, anche esso mi ha detto quanto di consolazione (e sia detto a gloria di Dio) di edificatione, che V. P. dà con il suo soggiorno in quell' Abbazia di San Germano, & quanto Ella faccia ammirare la sua pietà, & dottrina. Resti sempre benedetto Dio.* At quid opus est San-Germanensium erga me, fidem omnem exsuperantis, benevolentiæ argumenta, hoc loco proferre, quum iisdem scateat impressa typis quædam illorum Epistola, ex qua occasionem cepi literas easl inscribendi Sanctissimo Domino Nostro BENEDICTO XIV. quæ Brixiæ datæ VIII. Kal. Maji an. MDCCXLIII. comparent in fronte tertiæ meæ Decadis Epistolarum Latinarum. In iis literis Sanctitati Suæ inscriptis ingenue professus sum, ex laudibus a Patre Præfecto Generali Congregationis

nis S. Mauri mihi tributis, *unam dumtaxat veram esse, nullo unquam tempore a me dissimulandam, obtegendamque, nimirum honorem summum, quem semper habui Montfauconii nomini ob præstantissimam ejus eruditionem, & præclarissima alia animi ornamenta, quibus insignitus totam admirationem meam ad se pertraxit, ut primo ipsum videndi, alloquendi, imo cum ipso sub eodem tecto versandi Florentiæ sors mihi obtigit.* Hæc ego protuli in mearum illarum literarum proœmio; hic vero opportunum duco, Christianas eas phrases, quibus Cosimum III. utentem legimus, usurpare, *E sia detto a gloria di Dio. Resti sempre benedetta Dio*. Profiteor itaque, eo me animo literas recitasse ejusdem Principis, quo ipse easdem conscripsit. Jam dixi in mei hujus Commentarii Proœmio, menti meæ, ut primo ad illum contexendum manum admovi, duo inter se pugnantia statim sese objecisse, nimirum nihil magis dedecere, quam si aliorum honorifica de me testimonia iis verbis recitarem, quibus enunciantur in literis ad me datis, pariterque nihil magis necessarium esse, quam ut testimonia illa absque fuco in medium allata narrationibus meis fidem adstruerent. Lectores simplicis veritatis amantes, ut spero, æqui bonique consulent, meliorem mihi visam esse sententiam, quam sum amplexatus.

CAPUT II.

De aliorum Ordinum Regularium Viris aliquot eruditis, quorum singularis erat Lutetiæ existimatio.

AGmen eorum, quorum modo censum sum initurus, ducit Augustinus Calmetus, qui, etsi Benedictinam Regulam, æque ac San-Germanenses, profiteretur, non tamen Congregationi Gallicæ S. Mauri adscriptus reperiebatur, sed Lotharingicæ SS. Witoni, & Hydulphi; degebatque in Cœnobio *Alborum palliorum* (*Blancs-manteaux*) nuncupato, quod pariter ad Congregationem San-Maurinam spectabat. Susceperat ipse jam ab anno 1707. in Sacra Biblia Commentarios conscribere, acriterque postea eundem laborem persequebatur, ut testatum mihi faciebant frequentia colloquia, quæ cum ipso commiscui; frequentia, inquam, nam creber accedebat ad San-Germanenses invisendos, eaque occasione usus ego, valde cupidum eidem me exhibere consueveram una cum ipso enucleandi controversias quasdam in iisdem Commentariis pertractatas. Nihil autem ipsi magis cordi erat, quam illos vindicare ab iis notis, quibus inusti fuerant a Fourmontio, editis quatuor Epistolis, quasque idem Calmetus jam expunxerat, libello recens impresso. Quærenti autem mihi, cur Commentarios illos Gallico potius, quam Latino idiomate in lu-

lucem prodidisset, respondit, id a se factum suasore præsertim Mabillonio. Necessitudinis, quæ inter me, & Calmetum intercessit, testis adest Epistola in fine superioris Capitis allegata, quæ scilicet principem locum tenet in tertia mea Decade. At in novum ejusdem rei testimonium proferre possum doctissimi ejusdem Viri, Abbatis modo Senoniensis, pridemque universæ Congregationis suæ Præsidis generalis, literas ante biennnium circiter acceptas, quarum hujusmodi est exordium, *Gaudio perfusus sum incredibili, dum vestras accepimus literas humanissimas, datas è Monasterio S. Galli die 28. Sept. Recordatus sum dierum heu! nimis antiquorum, quibus cum Em. Dom. vestra, & dulcissimis amicis, ac sodalibus nostris Surenæ ducebamus dies latos, & innocentes, & colloquiis fruebamur familiaribus, atque eruditis. Hæc omnia mihi in memoriam revocarunt literæ vestræ benignissimæ*. Surena a Calmeto memorata, villula est ad San-Germanense Cœnobium spectans, atque ad eam aliquando rusticatum Monachi divertunt; idque haud una tantum vice mihi accidit una cum Montfauconio, Calmeto, Bandurio, aliisque nonnullis. Laudat in iisdem literis vastum Editionis S. Ephræm opus, *dudum* (ait) *expetitum, tandem numeris omnibus absolutum, Romæ typis datum, & ab omnibus Eruditis summo plausu exceptum*. Plausisse magis, magisque Calmetum non dubito,

 post-

postquam intellexit, ejusdem Editionis adornandæ occasione contigisse mihi Vaticanos quosdam Codices consulere, unde celebri quæstioni de verbis Psalmi, *Dominus regnavit A LIGNO*, (quæ acrius quam unquam nostra hac ætate revixit) finis tandem imponeretur; & quidem juxta mentem ejusdem Calmeti, cui jamdiu hæc insedit sententia, τὸ *A LIGNO* primum ex Christiana pietate ad oram libri adnotatum fuisse, deinde ex ora in ipsum librum irrepsisse. Adversus hanc sententiam triumphare sibi visus fuerat Pater Tourneminius, dum ita scripsit, *Ce seroit parler trop affirmativement de dire, que cette addition etoit inconnue a tout l'Orient. S. Ephrem Syrien l'a citèe dans son premier Sermon de la Resurrection; il la lisoit donc dans les manuscrits de la Version Syriaque*. Tourneminio fucum fecit Gerardus Vossius ejus Sermonis (Græce tantum hic extat, non vero Syriace) interpres, qui additamentum illud nihil prorsus hæsitans suæ versioni inseruit, etsi eodem destituantur Vaticani Codices, ne uno quidem excepto, quos diligenter inspexi.

Digredior nunc ad familias alias Regularium, ac primo dicam de Patribus Oratorii Berulliani, quorum consuetudo & præsertim Nicolai Malebranche, Jacobi le Long, Petri le Brun me magnopere delectavit. Primus, quod me haud mediocriter versatum

com-

comperisset in libris de Inquirenda Veritate, ac Metaphysicarum Meditationum, haud ullo unquam tempore, quoties ipsum inviserem, dedignabatur multa mecum verba facere pro iis argumentis explanandis, quæ iisdem libris complexus fuerat; passusque præterea est, me quibusdam ejus sententiis, de veris præcipue, & falsis Ideis, aperte refragari. Contendebat, nihil exitialius Physica Præmotione posse in Scholis Theologicis doceri, perinde ac si Spinosæ, & Manichæorum erroribus, per Baylum instauratis, adjumentum præstaret. Illam ipsam in libro recens emisso, magnoque plausu passim excepto, cui titulus, *L'action de Dieu sur les Creatures*, assertam, & propugnatam funditus convellere jam tum meditabatur; suosque conatus, quoad potuit, exeruit in libro, quem anno 1715. evulgavit, morti jam proximus. Jacobus le Long, quamvis Mathematicarum, & Philosophicarum facultatum amantissimus, indeque Patri Malebranche haud parum devinctus, una tamen Historicas notitias adamabat, harumque causa fassus mihi est se aliquando haud leves quasdam sui illius Magistri reprehensiones subiisse. Unde adduceretur Malebranche ad easdem contemnendas, mihi ipsemet exposuit, tradens, fieri non posse, quin historicæ notiones copiosius coacervatæ sese invicem e memoriæ loculis extruderent, ac propterea

quin temporis in ea coacervatione impensi jactura seu cito, seu sero pœnitenda foret. Subdebat contra, tam veritates Mathematicas, quam Philosophicas sese invicem fovere, & fulcire, atque glutino veluti quodam devinciri. Petrus le Brun totus erat in rebus Liturgicis illustrandis, earumque primum Tomum an. 1716. publicavit. Hic certiorem etiam me fecit de libro, ante annos circiter viginti a se edito adversus P. Caffarum Theatinum, magna & istuin Parisiis in existimatione habitum ex generis sui nobilitate, & ex designatione etiam, quæ eidem olim obtigerat ad Panormitanas, patriæ scilicet suæ, Infulas, ac demum ex doctrina. Hanc tamen haud leviter fœdavit palinodia, quam ab Archiepiscopo Parisiensi recantare adactus fuerat, ob propugnatum Comœdiæ usum. Tandem inter eosdem Oratorienses nominabo Patrem Reineau Mathesis scientia admodum eo quoque tempore insignem; idemque insignior postea evasit ex pluribus de ea disciplina a se compositis lucubrationibus. Supremam Præfecturam Berullianorum Sociorum gerebat Petrus Franciscus de la Tour, Vir eximia gerendarum rerum peritia præditus, atque ob ipsam, rarasque alias animi dotes, magno in honore habitus non tam apud suos, quam apud illustriores Galliæ Præsules, cæterosque Magnates. Hujus Epistolam asservo, datam ad me die 12. Februarii

an.

an. 1714. quam memoraſſe tantum ſufficiet, quod ſola ſingularis erga me benevolentiæ documenta complectatur.

Inſignes ex Ordine Prædicatorum laudabo Natalem Alexandrum, Michaelem le Quien, & Jacobum Echardum. Alexander rerum ſuarum iliadem, ut ita dicam, mihi narravit. Literali, & Morali in quatuor Evangeliſtas, nec non in Epiſtolas Pauli, & ſeptem Catholicas, Explanatione recens defunctus, novam Hiſtoriæ ſuæ Eccleſiaſticæ Editionem, quæ anno 1715. prodiit, curabat. Lequienium, qui non quidem ad S. Jacobum, uti Alexander, ſed ad S. Honoratum degebat, frequentius conveni; ſuæque erga me comitatis documentum reliquit in Præfatione, quam appoſuit novæ Editioni a ſe adornatæ Operum S. Joannis Damaſceni. Echardus, qui in eodem Cœnobio cum Lequienio morabatur, laborum ſuorum in Bibliothecam ſui Ordinis certiorem me faciens, de methodo ejuſdem diſponendæ ſententiam meam mira humanitate popoſcit. Uno & eodem anno, ſcilicet 1724. Alexander, & Echardus, e vivis ceſſerunt.

Reſtant adhuc recenſendi Patres Societatis Jeſu, ad quorum ædes, domum ſcilicet, quam vocant *Profeſſam*, & Collegium Ludovici Magni, multo frequentius, quam ad alias quorumvis Ordinum Regularium ventitabam. Joannes Harduinus, altero die poſtquam Pari-

 ſios

sios adventassem, a me aditus facilem, & expeditum mihi se præbuit ad fundenda absque fuco paradoxa sua, etsi ad eadem ejuranda haud multo antea adactus fuisset. Liberis igitur verbis affirmare mihi non dubitavit, veterum Numismatum authoritatem maximi faciendam, insuper Vulgatam Divinorum Bibliorum Editionem, & Concilii Tridentini Canones, quandoquidem alia sacræ Antiquitatis monumenta, pleraque omnia, justa sublestæ fidei suspicione laborarent. Somniaverat ille, quemadmodum antiquissimos prophanos Scriptores seu Oratores, seu Poetas, seu Historicos, seu Philosophos, ita Ecclesiæ Patres, Synodos Episcopales, Decretales Pontificum, atque alia hujusmodi Scripta, nil aliud quam suppositiones esse doctorum Cœnobitarum, qui, una simul Sæculo X. conjuratione inita, tantis fallaciis struendis, & concinnandis animum, calamumque appulissent; uno verbo, Vulgatæ Versionis, Concilii Tridentini, & priscorum Numismatum fide Christianam Religionem inniti, labantibus, ac nutantibus ex ea suspicione cæteris omnibus ejusdem fundamentis, quæ hucusque locata fuerunt. Portenta ista dum audirem, spatiando interea in Bibliotheca conjunctis cum Harduino passibus, accidit ut oculos converterem ad librum quendam ex ligno confectum, fictitioque titulo ornatum, pro implenda, ut alibi etiam fieri

fieri observavi, plutei extremitate, tunc statim libro illi manum injeci, ipsumque Harduini oculis obiiciens, En, dixi, hocce figmenti, de quo agitur, genus esse nemo profecto negaverit, in Jesuitarum tamen, non in Monachorum officina fabrefacti. San-Germanenses solitum dicere Mabillonium mihi narrabant, suæ ipsos gloriæ ducere debere, quod olim Ciceronem, Livium, Virgilium, paresque alios Scriptores Monastici cuculli apti fuerint procudere. Harduinum in rebus historicis adeo delirantem, Clero nihilominus Gallicano idoneum visum fuisse, cui colligendorum Conciliorum provincia demandaretur, hoc profecto quamplures ad maximam admirationem pertraxit. Gabriel Daniel Gallicæ Historiæ conscribendæ jam serio incumbebat. Plura de eadem mecum crebro loquebatur, at crebrius de Theologicis rebus, quibus pertractandis celebre nomen fuerat assequutus. Adeo libenter, & comiter me suo in cubiculo excipere solitus erat, ut, quum semel accidisset, eundem a me fores ejus cubiculi pulsante deprehensum fuisse suo pallio jam amictum, & mox mox ex iis egressurum causa per urbem vagandi, pallium ille admiranda agilitate ex humeris suis excusserit, sinens in terram prolabi, veluti veritus, ne ipsum ansam mihi daret cubiculum vel non intrandi, vel colloquium quam citius dissolvendi. Carolum de la Rue,

&

& Honoratum Gaillardum, insignes verbi Dei præcones invisere non omisi. Ab altero ex illis Frater meus vehementer petiit sibi tradi exemplar Orationis, quam e suggestu nobis audientibus habuerat, obtinuitque ab ejusdem humanitate, & quidem manu ipsius Gaillardi descriptam, eamque manibus meis iste concredidit, officiosissimis suis literis sociatam. Natalis Sanadonius, postquam humaniores literas Cadomi, deinde in Collegio *la Fleche* docuisset, Parisios ad Rhetoricam tradendam accersitus, mihi etiam ipse, ni fallor, innotuit. Absque dubio autem novi Patrem Buffierum, quem memini magnopere mihi commendasse scriptos a se de Memoria Artificiali libros, ceu mirifice utiles ad removendam rerum eidem mandatarum oblivionem. Tandem ex Patribus Societatis (ne omnes memorem) dicam me vidisse, & alloquutum haud semel fuisse Michaelem Tellerium, qui in munere Regis Confessiones audiendi exceperat anno 1709. Patrem de la Chaize, pariterque Isaacum Martineau, qui Delphino, Burgundiæ Duci, a Confessionibus erat, cujusque virtutes edito libro anno 1712. celebravit.

Demum elenchum hunc claudet, qui Bibliothecam Collegii S. Genovefæ curabat, P. le Courayer. De propugnata ab hoc Episcoporum Angliæ Consecratione, & de versione Hist. Conc. Trid. ab eo confecta, sermo erit suis locis.

CA-

CAPUT III.

De Viris aliquot Eruditis, qui nulli Religiosæ familiæ adscripti, Lutetiæ florebant inter Socios Regiæ Academiæ Inscript. & Literar. politior.

Eusebium Renaudotium primo loco nominabo, namque cum ipso familiarius versatus sum, quo magis illeSan-Germanenses ædes frequentabat. In more siquidem eidem erat nobiscum dies omnes festos transigere, ac propterea obtinuerat sibi in iis ædibus peculiare cubiculum assignari, & insuper reconditum quendam angulum, unde in Ecclesiam prospiciens Officiis, quæ in ea peragerentur, interesset. Accedebat ergo ad Cœnobium sub vesperum diei, qui festum præcederet, cœnabamusque cum ipso non quidem in communi Trielinio, sed in privato cubiculo. Vix credi potest, quam copiose, seu dum mensæ consideremus, seu ea remota, antequam cubitum iremus, confabularetur de iis omnibus, quæ literis aut jam mandaverat, aut mandare meditabatur. Omnia ego quidem libentissime excipiebam; at facile animadverti, nonnullos eorum, qui aderant, haud raro tædium capere ex earum narrationum prolixitate, præsertim quod nota iisdem plerumque loqueretur. De libris Perpetuitatis Fidei Ecclesiæ Catholicæ, quibus quartum, & quintum Tomum nuperrim

rime adjecerat, frequentissimus ei erat sermo, pariterque de Historia Patriarcharum Alexandrinorum, quam illis ipsis diebus in lucem eduxerat, & de Liturgiis Orientalibus, quarum Collectionem prælo parabat. De iis loquens, haud omittebat tamen mentionem facere tam de libro a se contra calumnias, & falsitates Jo. Aimonii conscripto, quam de variis suis Dissertationibus, quotquot scilicet seu in Actis Academiæ Inscriptionum, seu alibi etiam comparent. Plurimus etiam erat in referendo censorio judicio, quo celebre Dictionarium Criticum Bayle suo examini publica authoritate subjectum notaverat; pronunciabatque cum magna animi indignatione, Opus illud nil nisi contemptum, ludibria, & proborum hominum odium promereri. Iter Italicum, quo Romam ad Comitia Pontificia proficiscentem Cardinalem Noallium comitatus fuerat, identidem commemorabat, honoresque sibi habitos a Clemente XI. & a Cosimo III. M. Etruriæ Duce; nam in urbe Florentiæ integro circiter mense substitit, Orientalibus Mediceæ Bibliothecæ Codicibus recensendis occupatus. Vespertini istiusmodi, & nocturni Colloquii utilitates ut mihi prorogarem, seu amplificarem, Renaudotium suo in cubiculo postridie mane solus adibam, prælegebamque, ipso audiente, & interpretabar aliquid ex Hebraico Psalmorum libro, ut eximia ejusdem in eo idiomate

peri-

peritia proficerem. Ea autem lectione expleta, transitum faciebam ad colloquendum de controversiis, quæ Gallicanam Ecclesiam ea tempestate agitabant; obviumque mihi erat internoscere, libenter occasiones ipsum aucupari Romanam Curiam perstringendi, quin ipsum Clementem XI. Hujus animum erga se, postquam ex Italia in Gallias remeasset, immutatum fuisse identidem querebatur, at parum juste; nam ea postea evenerant, quæ exhibitam olim a Pontifice eidem benevolentiam juremerito procul amandarent. Jo. Boivinium ut perlibenter adirem, in causa fuerunt cum Græcæ literaturæ peritia, qua excellebat, tum Regiæ Bibliothecæ Præfectura eidem commendata. Contigit autem, causam & ipsum habere, cur libenti prorsus animo sua me ad colloquia admitteret. Putabat enim me Florentiæ studium maximum collocasse in ediscendo Tusci sermonis exquisitiores elegantias, quas ipse omnino deperibat, postquam Academicis *de la Crusca* fuerat adscriptus. De hujusmodi cooptatione adeo gestire, Renaudotio præsertim, videbatur, ut hic amice in eundem ludens, sæpius vaticinatus fuerit, fore, ut ex novo eo studio tanta caperet Græcæ linguæ Boivinium oblivio, quæ faceret, opus ipsum in posterum habiturum Anselmo Bandurio ad Græcarum vocum intelligentiam. Ediderat jam ab annis decem Boivinius duos primos To-

Tomos Historiæ Nicephori Gregoræ; tertio autem, qui complexurus foret reliquos quatuordecim ejusdem Historiæ libros, quemadmodum & quarto Collectioni Opusculorum ejusdem Scriptoris destinato, Boivinium primam admovere manum unquam cœpisse, ignoramus. Illud pro re certa mihi relatum fuit, inter ejusdem chartas, nec frustulum repertum fuisse, quod laboris illius inchoati fidem faceret. Homerus, Anacreon, Sophocles, Aristophanes in deliciis ei homini erant, & nisi cum iis, & in iis vivere ille posse videbatur. Non domi tantum, quoties ad ipsum accederem, sed in publicis compitis, dum eidem occurrerem, eorum Poetarum loca aliquot ita diserte, ita acute interpretari, quo mihi gratificaretur, suscipiebat, perinde ac si in Lyceo Prælectionem haberet. Andreas Dacerius Græcis & ipse literis excultissimus, quod demonstrant quamplures versiones ex ea lingua in Gallicam ab ipso confectæ, etsi opis ad istas non indigens, volens tamen, libensque ea utebatur, quam ipsi tribuebat Anna ejus conjux, Tanaquili Fabri filia. Ludum literarium, quem iste Salmurii aperuerat, non frequentavit tantum Dacerius, sed obtinuit, ut in ipsa præceptoris domo habitaret, indeque factum est, ut primo condiscipulam, deinde contubernalem eandem Annam haberet, ac tandem in sponsam acciperet. Adeo vero ge-

stie-

ſtlebat Dacerius, dum uxoris ſuæ literaturam mihi magna in admiratione eſſe affirmabam, ut jucundum ei admodum acciderit, Diſtichon quoddam, quo uxor marito præferebatur, ſemel, & iterum me recitantem audire, hoc videlicet,

Docto nupta Viro, docto prognata Parente
Anna, Viro major, nec minor Anna Patre.

Utriuſque ſtudia, præter verſiones, quas dixi, verſabantur in vindicanda Homeri fama, cui aliqui ea tempeſtate valde audacter detrahebant, de qua re inferius. Jacobus Turellius, frater Antonii Turellii ſuperius memorati, adire ad me diebus ſingulis ſolebat, ac mecum duas, treſve horas veſpertinas inſumere, ut conjunctis ſtudiis difficiliora quædam Demoſthenis Orationum loca expenderemus. Huic rei Turellius, qui earundem verſionem ab aliquot annis a ſe vulgatam, accuratiorem reddere meditabatur, me idoneum facile nimis putavit, quod comperta ipſi ejus frater reddidiſſet Græcanica mea ſtudia, improbe equidem, Salvino præceptore, ſocioque, ſeu teſte quandoque Abbate Turellio, peracta. Nova Editio Turellii verſionum debetur Gulielmo Maſſieu, nec verſionum tantum, ſed aliarum etiam lucubrationum. In Turellianis verſionibus plerumque deſiderari fidi interpretis partes, Montfauconius affirmabat, ſubdens, lumina ingenii, quibus ſtylum ſuum variare aſſuetus erat

erat Turellius, in causa esse, ut versiones illas legens non Demosthenem, sed Turellium audire sibi ipse videretur. Franciscus Seraphinus Regnier Desmares de proximo meo in Gallias adventu a Laurentio Comite Magalotto, cui a quadraginta, & amplius annis magna amicitiæ necessitudine conjunctus erat, per literas admonitus, San-Germanenses rogaverat, ut statim ac pedem in eorum Cœnobium intulissem, id ipsi significarent. Quumque ita accidisset, Regnerius ad me cito adire dignatus est singulari cum humanitate. Etruscæ linguæ peritiam in eo homine summopere sum admiratus, indeque percepi, promeritum magno jure eundem fuisse vel ab ipsis Florentinis, ut Italica versio Anacreontis cantionum ab ipso elaborata, & una cum binis Italorum Poetarum, Corsini scilicet, & Salvini impressa, palmam præ istis omnino ferre censeretur. Servo in scriniis meis Italicas aliquot cantiones, quas mihi Parisiis degenti comiter inscripsit. Una inter eas in laudem Magalotti composita, hisce versibus desinebat,

Anni quaranta tre concorde affetto
Ci tenne avvinti, e da ria sorte sempre
Il rivederci più ci fu disdetto.
Tempo, spazio non sia, che sleghi, o stempre
Il dolce, e forte nodo, onde fui stretto,
Ma sia quai l'Alme d'immortali tempre.

Stylo etiam excellebat Regnerius, qui Italice

ce *Bernesco* vocatur, eique modeste exercendo occasionem dedit decem, & octo Cardinalium creatio, quæ publicata die XVIII. Maii an. 1712. a me eidem nunciata fuerat. Epistolio enim hisce verbis ad me dato, *Il parto di diciotto Cardinali, del quale Ella mi diede la prima nuova, mi è tanto rigirato nel capo, ch' egli mi ha fatto partorire questa notte un Sonetto, il quale io sono a mandarle, perchè veda se io posso arrivare a fare Sonetti anche alla Bernesca*, huic, inquam, Epistolio cantionem subdidit, cui hujusmodi est exordium,

Di dieci otto figli il Padre Santo
Avea gravido il seno &c.

At nusquam magis Italicæ suæ venæ felicitatem admirandam mihi dedit Regnerius, quam Cantione mihi inscripta, atque transmissa eo ipso die, quo octogesimum annum absolverat, nimirum die 13. Aug. an. 1712. Integram recitavi in Epistola ante tres annos typis excusa, qua gratias egi Academicis *de la Crusca* ob honorem in me collatum, ex facta mei in eorundem censum cooptatione; quare initium dumtaxat hoc loco proferam:

Ottant' anni oggi appunto ho bell' e fatti,
Pur senz' uso d' occhiali e scrivo, e leggo,
E sulle membra mia mi movo, e reggo,
Con agil portamento, e liberi atti.
Ne dall' etade offeso
Dell' età sento peso,

E qual fui di cinquanta

Tal sono, o poco men ora d' ottanta.

At annos illos octoginta uno tantum anno supergressus est Regnerius, nam die 6. mensis Septembris an. 1713. fato cessit. Assidens ante dies tres mensæ Cardinalis Destrees peponum esui liberalius, sive intemperantius se dedit, quam provecta ejus ætas ferret; idque ut vigorem (aderam & ipse inter convivas) ostentaret stomachi sui, in quo tamen semel hausti vixerunt, donec Regnerium perimerent. Facete more suo Jacobum Turellium de eo obitu dicentem audivi, *Monsieur l' Abbè Regnier vient de mourir d' une fanfaronnade d' appetit*. Interfui ego, dum lecto affixus, ex ea stomachi cruditate doloribus excruciaretur, ac miserandum in modum exclamaret, *Vita non est tanti, ut tanti ematur*. Quamvis autem Etruscam linguam maximopere adamaret Regnerius, haud tamen nativam excolere omisit, adeo ut Grammaticam de ea Artem composuerit. Hanc a Patre Bufferio Societatis Jesu sugillatam fuisse in Ephemeridibus Trevoltianis ita ægre tulit, ut nihil magis. Acrem propterea iisdem libellum opposuit, & pluries mecum adversus eum censorem, quem omnino ineptum vocabat, acerbis verbis invehebatur. Junctim modo mihi se se offerunt bini Ecclesiasticæ Historiæ Scriptores, Claudius Fleury, & Franciscus Timoleon Choi-

sy.

ſy . Poſtremus iſte omnino leviter , ſtrictimque eandem attigit; quare ſermones, quos ſecum habui, ad aliud argumentum libenter deflectebam, ad ea ſcilicet, quæ ſatis curioſa de ſuo ad Regem Siami itinere, an. 1685. ex regia auctoritate ſuſcepto, narrari mihi ab eodem petebam. Primus vero penitius quidem res Eccleſiaſticas rimatus eſt , ac uberius eaſdem explicare ſuſcepit, ejuſque lucubrationibus inveni San-Germanenſium meorum judicium haud mediocriter favere. Ego vero iiſdem ingenue profiteri non deſtiti, quoties occurrit de Scriptore illo mentionem facere, adhibitam a Tillemontio in iiſdem argumentis diligentiam in amore, ac deliciis mihi jamdiu fuiſſe , ſemperque futuram . Concham maximæ molis Tillemontium mihi videri ſubjungebam, aquas ſcilicet effundentem, quibus redundaret, & poſt illas effuſas novis, noviſque ſuperflueret , dum contra bini Scriptores , de quibus ſermo , imo vero Alexander etiam, & Dupinius urceo aſſimilari poſſent, quem aquæ inde emiſſæ vacuum , & inanem relinquerent. Meum hoc dictum probarunt plerique ii Patres, & præter ipſos quam maxime Renaudotius , eorumque omnium gratiam mihi magis, magiſque conciliavit, quod certiores ipſos fecerim, totum me in evolvendis Tillemontii libris Florentiæ fuiſſe, dum Fontaninus , & una cum ipſo Paſſioneus præcla-

rum valde adorsi sunt facinus libros illos, Romani Indicis censuræ a P. Jacobo Laderchio subjectos, ab eadem eximendi, remque hanc ab insignibus hisce duumviris bene gestam quum mihi Magliabechius nunciasset, eos me plausus edidisse, quos iidem maxime gratos habuerunt, ut ipse Magliabechius mihi comprobavit, Fontanini Epistola oculis meis supposita. Binis Historicis, quos jam jam recensui, conjungendi nunc veniunt bini Poetæ, Bernardus de la Monnoye, & Antonius Houdart de la Motte, quorum etiam amicitiam ut mihi pararem, in causa fuit mensa, cui illi haud raro considebant, Cardinalis Destrèes, & quam illi exhilarare alternis cantionibus consueverunt. Memini inter cæteras maxime eidem Cardinali arrisisse Epigramma quoddam de Hevæ cum Serpente colloquutione a primo eorundem Poetarum compositum, & recitatum, quoniam arguto isto aculeo concludebatur, Hevam familiari illi sermoni aures libenter præbuisse, potius *Quam mulier nullas noscere blanditias*. Menagianis adaugendis vacabat præsertim Monnoye, suique hujus laboris dum certiorem me faceret, una simul a me postulavit, quodnam foret eruditorum Italorum judicium, & inprimis Magliabechii, de libro *de tribus Impostoribus*. Accepit ille attentis auribus quæcumque de eo argumento comperta mihi erant ex eodem Magliabechio; nec

nec mirum, nam paulo post iisdem Menagianis inseruit ipse Dissertationem de libro illo, cui propterea componendæ calamum suum eo ipso tempore applicuisse facile credi potest. La Motthe, non ex carminibus tantum ab ipso in lucem editis, sed ex suscepto etiam Trapensium Monachorum instituto, rarisque aliis vitæ vicissitudinibus, admodum celebris, novam nomini suo celebritatem quæsivit, dum in Galliis degerem, ex impugnata Homerica Poesi; at quænam foret ea celebritas, in apricum ponent Renaudotii literæ ad me datæ, dum in Italiam relicta Lutetia rediturus per Gallicas quasdam provincias peregrinarer. Unis die 4. Februar. an. 1714. exaratis, ita scribit Renaudotius: *Enfin l'Iliade de la Motthe a paru avec un discours, ou il juge d'Homere. Le Poeme est deja mort, & le discours est a l'agonie. Il ne se soutient que dans l'esprit de quelques ignorans, pour les quels il est fort specieux. Mais comm' il n'est bati, que sur des faux principes, deja souvent rebattus, il ne subsistera pas long tems. Il est bon que l'on sache en Italie, que nous n'approuvons pas en France des projets si insensés, & si mal soutenus.* Aliis vero scriptis die 24. Dec. ejusdem anni, quæque me Romæ convenerunt, hæc habet, *On acheve l'impression d'un Ouvrage de Madame Dacier pour defendre Homere contre Monsf. de la Motthe. Elle n'a jamais rien fait de si bon,*

& il est difficile de mieux traiter la matiere pour la solidité, & avec plus d'agrément. Ludovicus de Coursillon de Dangeau, quod nihil antiquius habere videretur, quam cuilibet ipsum adeunti copiam facere doctrinæ suæ, adiri a me voluisset singulis diebus, ut novas docendi methodos a se excogitatas, centumque jam circiter in libellis digestas ediscerem. Familiare ipsi fuit, ut primo ad eum accessissem, his me verbis compellare, *Sur quoi voulès vous que j'ay l'honneur de vous entretenir aujourdui?* Paratus itaque mihi se exhibebat ad proferenda ex thesauris suis seu Geographica, seu Chronologica, seu Poetica, seu Historica, seu Gentilitia, seu alia quævis, quæ mihi magis libuissent. At principia, quibus ille innixus novas eas methodos condiderat, vix aliquem ex Parisiensibus Eruditis inveni qui probaret, plures autem sum nactus, qui eadem, libellosque de ipsis evulgatos irriderent. Cautus igitur eram in serendis cum eo homine sermonibus, qui ipsi portam darent de argumentis illis disserendi, libentiusque ab eodem percipiebam, quomodo contigisset, ut lecto Bossueti Meldensis Antistitis libro, quo Catholica Fides exponitur, ad eam amplexandam, ejurata hæresi, traductus fuerit. Narrabat autem una simul ea ipsa lectione captum paulo post etiam Marescallum de Turenna Catholicæ & ipsum Religioni se dedisse, hujusque exemplum

plum ſequutam quoque fuiſſe illuſtrem fœminam de Duras ejus neptem, poſtquam tamen Colloquium, cujuſmodi ipſa popoſcerat, ejuſdem Boſſueti cum Miniſtro Claudio, veritatem Catholicam ſibi magis, magiſque probaſſet.

Atque ii ſunt ex Sodalibus Pariſienſis Academiæ Inſcriptionum, & bonarum literarum, quibuſcum ſingularis mihi fuit familiaritas, quin tamen omiſerim, notos mihi facere celebriores alios eorundem Collegas. Horum nomina, prout memoriæ meæ occurrunt, hæc ſunt: Carolus Rollinus, Jo. Maria Tilladet, Gul. Maſſieu ſuperius laudatus, Claudius Franciſcus Fraguier, Nicolaus Joſeph Foucault, Antonius Oudinet, Bernardus de Fontenelle, Antonius Galland, Jo. Baptiſta Rouſſeau, Jo. Franciſcus Simon, Nicolaus Henrion, Carolus Cæſar Baudelot, Claudius Gros de Boze. Rara tamen cum hiſce omnibus conſuetudo me devinxit. At poſtremo ex hiſce, qui in ea Academia geſſit per annos circiter quadraginta Perpetui Secretarii munus, quam perfamiliaris evaſerim, poſtquam in eandem ego, præſertim ex ſingulari Viri illius erga me benignitate admiſſum me vidi, declarant literæ, quas nobis invicem dedimus, quaſque publici juris feci in Decade ſecunda, & tertia mearum Latinarum. Nec indicti hoc loco abire debent illuſtres Abbates Tellerius,

& Bignonius. Ille Regiæ Bibliothecæ Præfecturam gerens, omni humanitate indulgebat, ut pretiosos Codices, quibus eadem maxime abundat, utendos ad San-Germanenses ædes mecum deferrem. Cum Bignonio vero, in ea provincia Tellerii successore, ea necessitudine conjunctus vixi, ut inde adductus sim ad Decadem illam alteram ei inscribendum, idque agens his verbis sum usus, quæ, quoniam faciunt non ad eandem tantum necessitudinem comprobandam, sed ad testandam etiam novis argumentis utilitatem a me perceptam ex San-Germanensi domicilio, placet hic ipsa recitare. *Biennii illius cursum, quem triginta ab hinc annis Lutetiæ transegi, quemadmodum nulla res animo meo jucundiorem efficere valuit, quam frequentissima cum Literatis Viris consuetudo, cujus potiundæ maximam mihi opportunitatem largitæ sunt Ædes San-Germanenses, meum in ea Urbe domicilium, omnigenaque eruditionis, sacræ præsertim, Athenæum, ubi celeberrimus Virorum illorum conventus quotidie ferme agebatur; ita nihil in præsens memoriæ meæ tristius occurrit, quam eos plerosque omnes jam e vivis excessisse. Hanc tamen ægritudinem profecto haud mediocriter levat, quod videam, singulari Dei Optimi Maximi beneficio superstitem Te adhuc, Bignoni Abbas Amplissime, quem vel eo tempore, ceu fulgidissimum literaturæ lumen, colebam, venerabarque; nec superstitem tantum,*

sed

sed de studiis omnibus bonarum artium excolendis, tuendisque adeo sollicitum, perinde ac si diuturna ætas, quam attigisti, nihil omnino de prisco mentis tuæ vigore decerpsisset. Locum tandem, antequam Caput hoc concludam, sibi tradi postulant Petrus Daniel Huetius, Jo. Franc. Paulus Caumartinus, & Ludolphus Kusterus; nam horum nomina Academiam, de qua agitur, exornabant. At Caumartinus degebat in Nannetensi sua Abbatia, ac proinde de ipso verba faciam, quum iter Normannicum, quo ad eandem deductus sum, describam; ejusdemque descriptionis occasione in medium afferam Huetium, Parisiis quidem a me invisum, sed de quo copiosius loquendi ansam mihi præbebunt aditæ a me urbes Cadomensis, & Abrincensis, quas ejusdem æque literarias, & sacras, ac patrias Sedes appellare possumus; nam Cadomi natus Huetius, ibi literas quammaxime excoluit, Abrincarum autem Infulas gerens, adeo cum hisce eadem studia conjunxit, ut mihi ipse narraverit, rusticos ejus regionis homines male secum a Rege actum conquestos aliquando fuisse, quod ipsis Præsulem præfecisset, cui studiorum suorum curriculum nondum foret absolutum. Demum, de Kustero satis dixi lib. I. c. tertio, ac proinde hic tantum addam, eundem an. 1713. ex Antuerpia, qua in Urbe Jesuitarum Patrum Catholicæ Fidei dogmatibus imbuendus disci-

disciplinæ se tradiderat, Parisios advenisse, ac hæresim ejurasse; quod vero spectat ad studia literarum, quæ acriter prosequi non destitit, in nova Hesychiani Lexici Editione paranda maximopere laborasse.

Injuriam facerem Rodulpho Boutardo, si comprehensam hoc Capite nomenclaturam concluderem, ejus nomine penitus omisso, quod satis celebre fecerunt carmina plura, ab ipso adeo jactata, ut dignum ipsemet se reputaverit, qui diceretur, *Venusini pectoris hæres*. Titulum quoque Regii Poetæ sibi vindicans, Vatem Borbonidum se inscribebat. Hominem gloriarum plenum vel satis declarant literæ, ab eo ad me in Italiam jam reversum exaratæ, quibus junxit Cantionem a se recens conditam pro excitandis Christianis Principibus ad fœdus adversus Turcas. Inter cætera hæc habet, *Le succès a repondu a mon attente, les Rois se sont liguès, & le Turc ètè battu. Le Pape qui m' honore de sa bienveillance a ètè touchè de cette exhortation, & m' a fait remercier par M. le Card. Paolucci. Je souhaite qu' Elle ne Vous deplaise pas, & je Vous prie de la communiquer a vos Senateurs, & Nobles de Venise, qui doivent s'y interesser. Je pretend bien cultiver l'honneur de votre amitiè, dont feu M.r le Card. Destrèes a èstè le ciment. Si je m'aperçois, que ces bagatelles vous fassent plaisir, je continuerai a vous en faire part.*

CA-

CAPUT IV.

De reliquis Viris eruditis Lutetiæ.

SI principem omnino locum inter Eruditos, quibuſcum Pariſiis neceſſitudinem conjunxi, Ludovicum Abbatem de Longuerue tenuiſſe dixero, id dixero, quod olim jure a me affirmari faſſi ſunt plerique omnes in tribus ſuperioribus Capitibus recenſiti, & quotquot reſtant in præſenti hoc recenſendi. Statim ac Lutetiam ingreſſus ſum, adeo ille me cepit immenſa ſua eruditione, miraque facilitate in eadem exerenda, ut nullus ferme mihi dies effluxerit, quin eundem domi convenirem. Quotieſcumque autem ab eo diſcedebam, maximo ſtupore correptus ob ſuæ illius ſupellectilis copiam, qua me quodammodo obruerat, vix animo meo fingere poteram, omnes hominem illum ex hydria ſua aquas non effudiſſe, putabamque proinde, dum poſtero die ipſum adirem, eundem jejunum, & aridum deprehenſum iri. At contra prorſus accidebat, quod mihi ſeſe exhiberet homo iſte novis, noviſque jugiter theſauris refertus. Quare Horatii verſus iſtos juſtam cauſam habui mihi, & illi accommodandi, eoſdemque paſſim recitandi iis omnibus, qui meum de Abbatis illius eruditione judicium ſciſcitabantur,

Ruſticus expectat, dum defluat amnis, at ille
Labitur, & labetur in omne volubilis ævum.

Nul-

Nullum omnino erat literaturæ genus, quo non excelleret, atque ita excelleret, ut dicere consueverim, me a libris desertum, tunc solum ad eundem consulendum properare, quo scilicet res addiscerem, quas edoceri ex eorundem lectione haudquaquam mihi contingere posset. Linguas etiam Orientales callebat, atque inter ipsas perinde ac si, ceu vernaculam, familiarem haberet Arabicam, eundem hisce verbis jocose compellare, dum plures adessent, in more habuit Cardinalis Destrèes, *M. M. l'Abbè combien de langues savès Vous sans l'Arabe?* Multa jam eo tempore in scripta redegerat, at ab iis in lucem edendis se omnino alienum præbebat. Res Arabum, post subjectam eorum ditioni Hispaniam, vix dici potest quam penitius explorasset, quam valde perspectas haberet, indeque ferebatur, brevi in publicum prodituram fore Historiam, de eo Regno conscriptam a Mariana, cum Abbatis de Longuerue adnotationibus, & Gallica Abbatis de Veyrac versione. Epistolas plurimas ad P. Pagium exaraverat, servabatque earum exempla uno volumine comprehensa, quod mihi alta voce legendum offerebat, eaque occasione tot, & tanta ex eruditionis suæ thesauro proferre solitus erat, ut præ illis exigua, atque levidensia mihi viderentur quæcumque Pagius in Critica sua ad Annales Baronii publicaverat. Memini, Fratrem meum, quum sibi persuadere haud-

haudquaquam posset, hominis illius literaturam adeo interminatam esse, ac me passim affirmantem audiebat, in animum induxisse de ejus rei veritate experimentum capere, ac propterea die quodam mecum ad ædes Abbatis advenientem, plures ei quæstiones de Americanarum arborum fructibus proposuisse, illasque omnes ita expedite, ita copiose Abbatem dissolvisse, ut in iis regionibus seu ortus fuisse, seu bonam vitæ suæ partem traduxisse existimari posset. Ex eruditis Viris Montfauconius, Lequienius, Lebrunius domum ejus crebrius ceteris frequentabant. Haud omnino rarus ad eandem accedebat Renaudotius, ibique semel digito me ostendens ita Abbatem est alloquutus, *M. l' Abbè, voici un homme qui est venu d' Italie en France pour nous voler & piller*. Utique respondit Abbas, *Mais cependant nous ne crierons pas, au voleur*. Harduini eruditionem plurimi faciebat Longuerue, tollebatque in cœlum ejusdem in Plinii Historiam labores. Controversias de Gratia, quæ maxime ea tempestate in Galliis exardebant, valde oderat, quod gravissimum bonis literis detrimentum importasse quereretur, & in eam sententiam propendebat, humanam libertatem stare minime posse seu cum Jansenistarum, seu cum Augustinianorum, seu cum Thomistarum doctrinis. Blondellum, & Dallæum ex Heterodoxis magno habebat in

pre-

pretio. Malebranchium, quod humanum ingenium Metaphyſicis tantum meditationibus excolendum cenſeret, ac dictitaret, Attilam literaturæ quandoque vocari ab ipſo intellexi. Petrus Joſeph Alary unus fuit, qui quotidianam meam in tractando Abbatem de Longuerue aſſiduitatem ſuperavit, nec enim ad Longuerue unquam acceſſi, quin illum ſeu cum hoc colloquentem, ſeu libris legendis in Bibliotheca ejuſdem vacantem nanciſcerer. Alary conſuetudinem, quam mihi ea occaſione uſus comparavi, excoluique toto eo tempore, quo me Lutetia detinuit, haudquaquam abrupi in Italiam redux, ſervoque adhuc nonnullas ejus literas ad me datas, quarum unum fragmentum recitabo, quod ſpectet ad emortuales Abbatis de Longuerue notitias, *Ce ſçavant homme* (en ejus fragmenti verba) *n'a fait que languir la derniere annèe de ſa vie. Sa teſte s'eſtoit extremement affoiblie. Il n'y avoit plus que ſes domeſtiques, qui puſſent le voir. Le chagrin qu'il avoit eſſuyè par rapport a la deſcription Hiſtorique, & Geographique de la France ancienne, & moderne n'a pas peu contribuè a cet affoibliſſement. Cet ouvrage, a dire vray, n'eſtoit pas tout a fait digne de la reputation de ſon autheur. Mais les Critiques, qu'on luy a faites a ce ſujet, & qui l'ont obligè a mettre des Cartons, partoient plus tot de la malignitè de ſes ennemis, que d'un deſir ſincere de faire connoitre la veritè.*

te. Venisse in hunc modum Abbatem de Longuerue postremis vitæ diebus in discrimen existimationis suæ vehementer dolui. Ad comprobandam mirificam linguarum Orientalium peritiam, qua dixi eundem præditum fuisse, hic subjungam, nihil ab ipso jucundius narrari consuevisse, quam habitam de eo literaturæ genere, dum viginti dumtaxat annorum ætatem attigisset, concertationem cum Ministro Claudio, centiesque iterabat, *Je l'entrepris, & je le menai si rudement, qu' il prit le parti de se jetter sur les complimens*.

Ludovicus Ellies du Pin, etsi quorundam judicio, in Italia præsertim, censeretur nemini fuisse secundus in omnigenæ eruditionis laude, visus tamen mihi est levis prorsus armaturæ, ac pro hujusmodi homine habebatur a San-Germanensibus meis. Hisce excitantibus, periculum non una tantum vice facere mihi libuit, num solida, an fucata tantum ille eruditione polleret. Unum dumtaxat referam, quo palam comprobabitur, quam inconsiderate, quam tumultuarie ex Authorum scriptis sua concinnaret excerpta. Expendenda susceperam quæcumque spectarent ad Edmundum Richerium, quumque putarem, uberrimam de eo argumento messem a me inventum iri in Dupiniana Bibliotheca Scriptorum Ecclesiasticorum Sæculi XVII. miratus præter modum sum, in eadem diligenter a me versata

nec

nec ipſum Richerii nomen compareré. Dum ſemel igitur domi Dupinium conveniſſem, narravi ipſi quod mihi recens acciderat. Ille indignanti ſimilis manum ſtatim admovit libro, quo continetur Tabula generalis ejuſdem Bibliothecæ, facileque in ea detecto Richerii nomine meam indiligentiam verbis haud ita lenibus redarguit. At ego, cui compertum jam erat nomen illud in ea Tabula extare, provocavi e veſtigio ad Bibliothecam ipſam. Tunc ille mihi apertius ſubiraſcens Bibliothecæ Tomum in ea Tabula allegatum avidis manibus arripuit, certo confidens, Richerii res geſtas, quas interea affirmabat ſe lato calamo tractaſſe, in eodem non defuturas. Eum itaque totum a capite ad calcem ſemel, iterumque pervolutavit, nec deſtitit id agere, donec certo certius dignoviſſet, Richerii nomen, quod extabat in Tabula, in Bibliotheca omnino deſiderari. Pudore ergo ſuffuſus, ut verba narrationis jam jam laudatæ huc transferam, *il prit le parti de ſe jetter ſur les complimens*. Ego autem comiter cum eodem egi, ut decebat, ac proinde multo etiam abfui, ut reliqua verba ejuſdem narrationis potuerim uſurre, *Je l'entrepris, & je le menai ſi rudement &c.* Probarunt magnopere San-Germanenſes, poſtquam domum reverſus rem ipſis expoſui, abſtinuiſſe me ab omni aſperitate, at nec ipſi, nec ego abſtinuimus a cachinnis, quos utique even-

eventus ille merebatur. Haud valde dissimiles mihi cum homine illo confabulanti, aliis etiam vicibus, contigerunt. Inde vero satis plane intelligere potui, cujus generis foret acervus, quem in sua Bibliotheca Dupinius collegit. Vacabat ille eo tempore Ecclesiasticæ Historiæ compendio, quod in quatuor Tomos distributum an. 1712. evulgavit.

Jacobus Boileau, ex pluribus libris a se editis, iisque singularis admodum argumenti, Theologici præsertim, ingens & ipse nomen inter Viros doctos obtinebat, dissentientibus tamen nonnullis, a quorum uno memini relatum mihi fuisse, quum in quodam libro Scriptor ille laudaretur in hunc modum, *le docte Boileau*, ibidem inter errata reperiri *Corr. le docteur Boileau*. Hic ad colloquia sua frequentanda non magna benevolentia tantum, sed, ut ita dicam, blandiloquentia me invitabat, quod singularem ipse caperet voluptatem ex fundendis rerum suarum narrationibus, quas præterea facetis quibusdam dictis condire consueverat. Æque igitur genio ejusdem, ac meo morigerando, libenter ab ipso audivi quæcumque mihi exponeret de libris, quos scripserat, & de varia eorum fortuna. Jactabat ipse præ cæteris nonnullos, quorum tituli hi sunt: de antiquo jure Presbyterorum in regimine Ecclesiastico, de antiquis, & majoribus Episcoporum causis, de Historia Conf-

fessionis Auricularis, de Regia in Matrimonium potestate, de Historia Flagellantium, de librorum circa res Theologicas approbatione, de re Beneficiaria. Postremum hunc non legendum dumtaxat mihi præbuit, sed me quodammodo adegit, ut meum de ipso judicium libere depromerem; at ipse reposui, tractatam in eo materiam nihil spectare ad hominem Monasticæ vitæ addictum, ejusdem vero interesse, ne flagellatio ex sacro illo instituto præscripta in invidiam vocaretur. Risit bonus senex ad speciosam meam istam tergiversationem, passusque humaniter deinde est, ut depromerem quæcumque compereram, dum adhuc Florentiæ agerem, adversus Historiam Flagellantium conscripta fuisse, quin tamen dissimularem, mihi æque innotescere vindicias ab ipso publicatas. Petiit ipse, an mihi pariter innotesceret versio ejus Historiæ in Gallicam linguam typis Batavis excusa, quodque fassus fuissem, me eandem nunquam vidisse, obtulit mihi Observationes a se evulgatas ad castigandam Interpretis seu inscitiam, seu indiligentiam. Postremis vitæ suæ annis binas edidit Scriptiones adversus Harduinum, scilicet Vindicias libri Ratramni de Corpore, & Sanguine Domini, pariterque disquisitionem Theologicam, an Cephas a Paulo reprehensus sit ipsemet Petrus, princeps Apostolorum. Jacobi Boileau frater, Nicolaus insignis Poeta,

ta, obierat uno mense, antequam Lutetiam ingrederer.

Ex Doctoribus, & Professoribus Universitatis Parisiensis, præter Dupinium, & Boileau jam memoratos, plures alios etiam dignoscendi, & alloquendi mihi adfuit occasio, propterea quod frequenter interessem publicis Actibus ejus Universitatis, ac Sorbonicis præsertim. Nomina eorum, qui memoriæ meæ modo occurrunt, hujusmodi sunt. Honoratus Tournely in Sorbonæ Scholis eminebat, testanturque ejus doctrinam libri Theologici, quibus edendis incubuit, postquam docendi munere se abdicasset. Ludovicus Habertus Scriptis Theologicis inclaruit & ipse, eademque evulgavit, dum Parisiis morarer, certiorque effectus fui plurium controversiarum, quibus illa causam dederunt. Morabatur Habertus in Ædibus Sorbonæ, an vero Doctoris ejus Societatis gradum obtineret, mihi non liquet. Carolus Witasse primas in eadem Societate tenere mihi videbatur; ejus tamen Opera Theologica lucem viderunt eo tantum mortuo. Edmundus Purchotius non quidem Doctor, sed Rector Universitatis, idque pluribus vicibus, ejusdemque Syndicus per plurimos annos, Institutionibus suis Philosophicis magnam nomini suo existimationem pepererat. Tandem (ut reliquos ex Cœtu, de quo hic agitur, omittam) Joannes Grancolas jam ediderat de Sa-

cramentis, & de rebus Liturgicis Disquisitiones, & Collectiones bene multas, quas tamen inveni haud magni fieri a San-Germanensibus meis, nam ipsis, & Montfauconio inprimis, videbantur *rudis indigestaque moles*. Vacabat describendæ Historiæ Parisiensi, Ecclesiæ scilicet, Urbis, & Universitatis. Ea quum multos post annos prodiisset, parum grata accidit Cardin. Noallio, ac proinde eandem Regii Ministerii authoritate supprimendam curavit. Adjungi merentur hisce DoctoribusViri aliquot Ecclesiastici, literaturæ fama & ipsi insignes, & inter cæteros Abbates Duguet, Couet, Lambertus, Vittement, Vivant, & Chetardie. Hunc ut frequenter inviserem, hortabatur me identidem Cardinalis Destrées, cui magno in pretio erat pietas ejus, & doctrina. Parochiam S. Sulpicii regebat. De Vivantio monitum mihi tradidisse Renaudotium recordor, binos eo nomine Ecclesiasticos designari, utrumque celebrem, quorum unus *Bien Vivant*, alter autem *Bon Vivant* appellari mereretur.

Nec omittam recensere aliquos ex Scientiarum Academia, ac nominabo Claudium de l'Isle, hujusque filios Gulielmum, & Simeonem, pariter Philippum de la Hire, ejusque natos Gabrielem Philippum, & Jo. Nicolaum, tandemque Dominicum Cassini, quo duce non una tantum vice Syderalem Speculam conscendi. Demum plura etiam subdere posem de insignibus

Num-

Nummiſmatophylaciis a me luſtratis. Quoties domo exirem ſociis ſeu Montfauconio, ſeu Bandurio, ſeu utroque ſimul, iidem me deducebant modo ad Gallandum, modo ad Fucotium, modo ad Baudelotium, modo ad Abbatem des Champs, omnes ſiquidem hujuſmodi gazarum poſſeſſores. Primum ex quinque iſtis leviter carpendi occaſionem habui in libro de Primord. Corc. ex tradita ab ipſo explanatione de Nummo Corcyræ cuſo, in quo M. Antonii, & Octaviæ icones conſpiciuntur; nec meam illam libertatem ægre tuliſſe eum Virum doctiſſimum, Pariſienſes literæ me certum fecerunt. Pari libertate in eodem libello ſemel, & iterum ſum uſus cum Montfauconio, qui eandem, haud minus quam Gallandus, æqui, bonique conſuluit. Non ita vero (ut ex Pariſienſibus literis accepi) Furmontius, Pariſiis linguarum Orientalium Profeſſor, quem mira confidentia vocem Κέρκυρα ex voce Γοργώ derivatam fuiſſe docentem, in lucubratione de linguarum Orientalium utilitate pro intelligenda veteris Græciæ hiſtoria, indeque deſumentem explanationem fabulæ Perſei, & Gorgonum, aliquantulum caſtigavi in literis ad Clariſſimos Viros Mazochium, & Bozium datis, quæ in Decade mea ſecunda continentur. Bozius mihi iſta repoſuit, *Je fus preſqu' auſſi effrayé que Vous avès pù l'etre de l'explication etymologique de l'Hiſtoire des Gorgones, & de celle du nom de l'Isle de Corcyre.*

CA-

CAPUT V.

De lustratis Regiis quibusdam, aliisque Magnificis Villis, demumque Cœnobio San-Dionysiano, postremis mensibus anni MDCCXI.

AD Regiam Fontisbellaquei Villam excurrendi occasionem cepimus Frater, & ego ex accessu ad eandem Civis nostri Joannis Emo, qui paulo ante, mense scilicet Augusto, Lutetiam e Patria ablegatus fuerat, ut Oratoris vices obiret, quoad liceret per eas discordias, quæ inter Gallicam Aulam, & Venetum Senatum exortæ fuerant, ex Franciæ Protectoris titulo in Cardinalem Petrum Otthobonum collato, Patriis legibus adversantibus. Viro igitur illi, quicum primis sui Parisios adventus diebus arctam admodum amicitiam contraxi, quamque integram adhuc servamus, quin temporis diuturnitas quidquam de ipsa delibaverit, juncti Frater, ut dixi, & ego ad Fontembellaqueum perreximus, dum in amœnissimo, & splendidissimo eo loco Rex, omnisque Aula habitaret. Non defuerunt, qui eidem Viro, antequam iter istud susciperet, suspicionem moverint molesti alicujus eventus, in cujus periculum ex ea profectione se inferret, quod illis ipsis diebus ad Aulam nuncius advolasset de illata a Venetis exilii pœna Cardinali Otthobono, postquam Romæ in Palatio ad eam rem conducto Regia Franciæ In-

Insignia omnium oculis exposuisset. Attamen ea fuit Joannis Emo dexteritas, atque solertia, ut statim in omnium Aulæ Administrorum animos sese insinuaverit, admissusque ab iisdem fuerit ad Patriæ suæ negotia pertractanda (agebatur enim de maritimis quibusdam legibus recens in Gallia latis, Venetorumque Mercatorum commercio haud mediocriter incommodis) perinde ac si nulla intercederet Regem inter, & Rempublicam abalienatio; inita tantum conventione, ne Regio conspectui ipse se sisteret, nisi eodem Cardinali in Patriæ gratiam restituto. Ad Regem salutandum ope Augustini Cusani, Nuncii Apostolici, postero die, quam Fontembellaqueum accessissemus, intromissi fuimus Frater, & ego, indeque reliquos omnes Regios Principes invisimus, benignissime ab omnibus excepti. Regem una cum iisdem mensæ assidentem conspicere, ac contemplari jucundum valde nobis fuit, pariterque inter illos recipi, quibus Regis e lecto surgentis cubiculum ingrediendi patet facultas. Bellicæ rei statum Rex leviter quidem subinde utroque eo tempore omnibus audientibus tangebat; at obvium erat percipere, res præsertim Belgii sollicitum admodum habere ejus animum, quod Eugenio Principi, & Marleburgio Duci eædem ita prospere in iis partibus succederent, ut horum copiæ quamprimum in Franciæ fines pervadere

poſſe viderentur. Quin aliquos muſſitantes accepimus, ad eum res illas articulum jam deveniſſe, ut neceſſe omnino foret de Regia Aula ad Camporium, Regium Caſtrum prope Bleſas, traducenda cogitare; idque a Rege ipſo affirmatum fuiſſe Mareſcallo Villarſio ferebatur.

Etſi ejuſdem Aulæ Primates quamplures inter ſe veluti decertarent, ut maximæ nobis humanitatis argumenta exhiberent, attamen benignitas Marchionis de Torcy, cui nonnullæ Pariſienſium literæ me commendaverant, ita me ſibi devinxit, ut aſſiduus forem apud ipſum per eos octo dies, quibus in Regia ea Villa ſubſtitimus. Eo libentius ipſius domicilium frequentabam, quod eo quoque ſe aſſidue conferrent illuſtres Abbates Polignachius, & Pomponius, frater is erat uxoris ejuſdem Marchionis. Primi autem latus ut jugiter obſiderem in cauſa fuit exquiſitæ ejus eruditionis ubertas, ac mira in ea proferenda ſuavitas, quæ faceret, ut dum ille loqueretur, & ego, & quotquot præſentes aderant, intenti prorſus ora teneremus. Seorſim repetitis vicibus mihi legere dignabatur non omnino breves Poematis a ſe conditi partes, quo ſcilicet Lucretii ſiſtema confutandum ſuſceperat, gaudebatque ipſe haud parum, dum mihi contingeret in eodem adnotare ſeu Horatii, ſeu Virgilii, ſeu veterum aliorum Poetarum hemiſtichia,

quæ

quæ idem ſolerter in rem ſuam tranſtuliſſet. Geſurius, Archiepiſcopus Bituricenſis, & ipſe majorem diei partem in ædibus Marchionis de Torcy tranſigebat, quin tamen hujus menſa unquam uteretur, quod tenui foret valetudine. Memoriam jucunditatis, quam capere conſueveram in ædibus Marchionis de Torcy, mihi, dum hæc ſcribo, refricat Epiſtola paulo poſt data ab illuſtri, boniſque literis exculta ejus Conjuge, in qua ſcilicet hæc habentur, *Ne ceſſons nous pas, moy, & le petite compagnie, que Vous trouviès chez moi, de rapeller ces jours, a qui nous devons & le bonheur de Vous connoitre, & le chagrin de Vous regreter. Car il faut rendre juſtice a M. le Cardinal de Polignac s'il n'a pas en partage la regularite du commerce, il a au moins bien excellement la juſteſſe, & la delicateſſe du gout pour louer, & admirer les perſonnes qui le meritent, autant que Vous luy feriès veritablement tort, auſſibien qu'a M. de Torcy, a M. de Valincour, mon frere & moy, ſi Vous croyès pouvoir en etre oubliè.* Ea tamen jucunditas, quam percepiſſe me dixi ex colloquiis Abbatis Polignachii (nondum iſte ad Purpuram evectus fuerat, dum primo Fontembellaqueum adii) aliorumque eruditorum Virorum Marchionis de Torcy domum frequentantium, haud me omnino expertem reddidit fruendæ familiaritatis cum cæteris quoque Aulæ Proceribus, præbetque huic

huic rei testimonium Epistola, quæ modo oculis meis occurrit, mihi exarata paulo post meum Lutetia discessum a Mareschallo de Villeroy. En ejus verba, quæ omnino redolent hominem militaris disciplinæ *Quand l'on merite les plus grands postes, l'on est moins touchè de les posseder. Mais pour moy qui Vous desire dans une condition plus libre, que celle d'un bon Religieux, je souhaite passionement, que Vous Vous trouviès en etat de faire vos volontès avec plus d'independance, & qu'apres avoir joui de l'entretien delicieux de M. l'Abbè de Longuerue, nous puissions encore Vous posseder en France avec de titres tels que Vous les meritès.* Primates alios memorare non vacat, inter quos neminem experti sumus humaniorem Principe Armagnachio. At nullo modo silendus Rohanius, Episcopus Argentoratensis, qui dum omnia nobis prolixæ comitatis officia exhibuit, una simul sua consuetudine demonstrabat, quam ingenti abundaret ingenio, atque doctrina, ea scilicet, cui admirandum in modum plaudere solitam fuisse Sorbonam dum in ejus Scholis Theses propugnaret, publicaque alia munia perageret, plures fuerunt qui mihi testificarentur. De Fontebellaqueo iterum a me adito sermo erit suo loco.

Ad Confluentes Sequanæ & Matronæ sita est Villa, quæ inde communi vocabulo Conflans appellatur, spectatque ad mensam Ar-

chi-

chiepiſcopi Pariſienſis. Eo divertere ſolebat ſingulis ferme profeſtis diebus Cardinalis Noallius, ut tranquillius feſtos, qui ſubſequerentur, tranſigeret, procul ſcilicet ab Urbis ſtrepitu acta, agendaque a ſe ad lancem Divinæ legis expendens. Ea in Villa (utique magnifica, atque admodum amœna) ut apud ipſum die quodam pranderemus, Fratrem meum, meque, & nobiles alios Italos humaniter invitavit, petiitque, ut Cardinalis quoque Deſtrèes convivium illud ſua celebritate honeſtaret. Annuit iſte, qui ſtatim honore maximo me ipſum honeſtatum voluit, dum ſtatuit, ad iter illud faciendum unum me comitem adhibere in lectica, nec enim alio vehiculo ipſum uti male affecta ejuſdem crura patiebantur. Nullum dicendi finem facerem, ſi ſermones inter illud iter agendum ab ipſo inſtitutos diſtinctim enarrare ſuſciperem. Capita tantum eorundem perſtringam. Plurima eorum, quæ colloquutus eſt, referebantur ad res a ſe geſtas, ſeu dum Laudunenſibus tantum Infulis ornaretur, pro ſancienda Pace, quæ Clementis IX. dicta eſt, inter Sanctam Sedem, & quatuor Epiſcopos, nimirum Alectenſem, Pamienſem, Bellovacenſem, & Andegavenſem; poſtquam autem a Clemente X. Purpuræ ornamentum accepiſſet, de opera a ſe collata pro negotio quatuor Propoſitionum ſibi pariter eadem authoritate demandato,

tan-

tandemque pro tuenda Regis, & Gallicæ Nationis dignitate in quatuor Comitiis Pontificiis, quibus interfuerat. Narrabat præterea itinera a se suscepta ad nuptias procurandas, Regio primum Delphino, deinde Sabaudiæ Duci, ac tandem Regi Lusitaniæ, & qua ratione sibi omnia illa prospere cessissent. Dolebat contra, irrito se conatu Venetiis, initio præsentis Sæculi insudasse in negotio aliquo pertractando, ad quod fuerat a Rege ablegatus. Demum verba fecit de postremo eo itinere, quo Philippum V. in Hispaniam pergentem comitatus fuerat, & ex quo redux San-Germanensem Abbatiam obtinuerat. Præter politica ista munia, amplum Cardinalis orationi campum præbuerunt argumenta ad rem literariam spectantia, hæcque dum exponeret, tertio quoque verbo laudabat Joannem Launoium, quo preceptore usus fuerat, secumque domi suæ ipsum retinuit usque ad ejusdem vitæ exitum, qui anno 1678. contigerat. Quamplura ex Launoianis Scriptis jam evolveram, recenter vero omnino quotquot facerent ad impugnanda Præmonstratensis Cœnobii, in Diœcesi Laudunensi siti, Privilegia; at quoniam æque legeram eorundem Privilegiorum vindicias ab ipsis Præmonstratensibus editas, ac inter cætera, acerbas rixas ortas inter eos Monachos, & Episcopum Destrées, memoria retinebam quod in earum Vindiciarum

rum libro narraretur accessisse semel idem Antistes armata manu ad Cœnobium illud *spirans minarum, & cadis*. Hæc ipsa igitur verba licere mihi putavi alta voce Cardinali recitare, quæ res vix credi potest quam valde eundem exhilaraverit, quod ipsi octoginta quatuor jam annos emenso in memoriam revocaret, generosius viridi etiam ætate a se Laudunensis Sponsæ suæ jura defensa fuisse. Quare eadem verba iterum, iterumque geminabam, utque gratiora adhuc eidem evaderent, Virgilianum illud subjunxi, *Tales animos, tam firma tulisti Pectora*.

Tantæ jucunditati, quam cepi iter illud habendo, ea omnino respondit, qua frui mihi datum fuit ex festivis sermonibus, qui ex utriusque Cardinalis ore absque ulla intermissione difluxerunt, seu dum prandium sumeremus, seu ante, seu post. Iisdem maxima ex parte argumentum ministrarunt eæ curæ, quibus obnoxia omnia ferme Præsulatus sui tempora Noallius persenserat, priusquam etiam Constitutio *Unigenitus* prodiret, Jocis igitur Destrèes non pepercit, dum commemoraret seu Quietismi doctrinam a Fenelonio Archiepiscopo Cameracensi propugnatam, seu Expositionem Fidei de Gratia, & Prædestinatione a Barcosio editam, seu Casus Conscientiæ definitionem, seu laxiores quasdam Ethicæ Propositiones, ac tandem

qua-

Paſtoralia Mandata Epiſcoporum Lucionenſis, Rupellenſis, & Vapincenſis. Illatas in hæc omnia Scripta damnatorias a Noallio ſententias (addita etiam ſuppreſſione Cœnobii Portus Regii) facete attingebat Deſtrées, nec Noallio deerant, quibus ictus repelleret, promptæ, concinnæque reſponſiones. Quod iſte ingenium hujuſmodi in numerato haberet, fidem faciet, quod ſtatim narro. Ut primo e lectica deſcendimus, & pedem poſuimus intra Noallii ædes, Deſtrées admiratus teſſelata earundem pavimenta admodum nitida, & lucida, occurrentem nobis Noallium his verbis compellavit, *Voici M. le Cardinal de tres beaux, & tr.. luiſans parquets. Ah! que les Reverends Pères ſeroient bien ravis, s' ils viſſent briller tout de meme votre face, parèe d' une jolie perruque, car ils trouveroient au moins a redire a cela*. Subita autem oratione Noallius ad hæc ita repoſuit, *Pardonnès moi, M. le Cardinal, les Reverends Peres aiment bien mieux de voir mes cheveux gris, car ces ſont eux, qui leur annoncent, que ma vie tend.. a ſa fin*. Denique quum inter hujuſcemodi amœnitates, ac venuſtates, plures horas inſumſiſſemus, die adveſperaſcente ad Urbem remeavimus. Cœpit autem Deſtrèes ſtatim poſt lecticam conſcenſam mecum plura ſerio loqui de iis ipſis negotiis, quæ adeo ipſi anſam præbuerant argutandi, dum Noallius coram adeſſet. At
rur-

rursus ad lepores delapsus est, dum occasionem ipsi dedi, Fratris, Parentisque sui gesta mihi exponendi, namque iis expositis, sermonem tandem convertit ad Nepotes suos, horumque mores jocose admodum mihi descripsit. Comperti mihi satis jam erant Victor, & Joannes germani fratres, quod Abbatiales San-Germanenses ædes incolerent, mensamque Cardinalis eorum patrui quotidie ferme frequentarent. Id in primo ex ipsis belle, & festive carpebat Cardinalis, quod bellicæ disciplinæ sectandæ intentus, jamque splendidum Marescalli Franciæ gradum assequutus, amplæ tamen Bibliothecæ congregandæ studio flagraret. Pari lepore Joannem Abbatem sugillabat, quod graviorem plerumque vultum indueret, cujusmodi deceret, ajebat Cardinalis, hominem ad Lusitaniæ Regem Legatione olim functum, deinde Regii Ordinis S. Spiritus Commendatorem. Ambo illi nepotes erant Cardinalis ex Joanne ejus fratre. Ex Annibale autem altero fratre; ejusdem abnepos erat Armandus, hicque adeo raro San-Germanense Palatium adibat, ut semel tantum recorder me ibidem cum eo colloquutum fuisse. Soror denique Ludovici Armandi Felicitas Maria Perpetua, Deo dicata in Salesiano Lutetiæ Cœnobio, quod Ecclesiasticæ Historiæ lectione valde oblectaretur, & ad eam rem sæpe sæpius libros seu a Cardinali, seu a Mare-

re-

ſcallo ſecum communicari poſtularet, ſales Cardinalis & ipſa ea de cauſa promeruit, narrabatque idem mihi, quod quum veterem Miſſarum Codicem ſibi illa quandoque tradi popoſciſſet, haud potuiſſe ipſum, quin pluribus audientibus exclamaret, *Aſſurement que ma petite Niece ſonge a ſe mettre en etat de dire la Meſſe*. Suaſit mihi Cardinalis, ut ipſam aliquando inviſerem, perſpiceremque, num res ita ſe haberet. Inviſi igitur eandem, nec una tantum vice, miratuſque ſum ſacræ eruditionis copiam, quam ſibi comparaverat. Occaſionem etiam admirandi ſuam erga me humanitatem mihi præbuit, dum aliquot poſt annos Romam advenienti Comiti de Amelot de Chaillou literas ad me perferendas eidem tradidit ad teſtandam memoriam, quam mei benigne ſervabat.

Villa, de qua tertio loco dicendum eſt, ea fuit, in quam ſeceſſerat Alamannus Salviatus, poſtquam commiſſo ſibi a Clemente XI. munere pretioſas faſcias Regio Principi Britanniæ Duci deferendi, & exhibendi functus fuiſſet. Eo advenimus Frater, & ego, & omnino benevole excepti fuimus, ac lauto prandio donati. Junxeram jam Florentiæ cum eo Præſule amicitiæ neceſſitudinem; quare & iſta, & mea in Patria illa ſua per quatuordecim annos commoratio, recenſque ex eadem diſceſſus, effecerunt, ut innumeros inter

nos

nos ſermones inſtitueremus. Nullus autem copioſior quam de Comite Laurentio Magalotto, quicum conjunctiſſime vixerat, antequam Romanæ Curiæ militiam capeſſeret. Accidit, ut unam, & alteram ejuſdem Comitis Epiſtolam ad me datas poſt meum ex Hollandia abitum in promptu haberem, quas oculis ejus ſubjicerem, viciſſimque nonnullas ipſe mihi oſtendit, quibus de meo Lutetiam adventu per communes amicos commonitus fuerat. Accidit etiam, ut, ſermone noſtro in res Piſani Athenæi dilapſo, proferre quoque valuerim Epiſtolam Magni Ducis, qua mihi clementiſſime nunciabat, collatam a ſe fuiſſe ejuſdem Athenæi Cathedram Patri Valſechio, Condiſcipulo olim meo, de qua re Regiam Celſitudinem ipſe exoraveram. *Io ho dato* (hæc ejus Epiſtolæ verba) *la mia Cattedra dell'Univerſità di Piſa della Scrittura Sacra al Padre Valſechi Lettore di queſto Monaſtero della Badia di queſta Città*. Mirabatur haud parum Salviatus, notas contortas, implicitaſque Epiſtolæ illius (eam ſiquidem ſua manu, uti cæteras ſupra indicatas, benigniſſimus Princeps exaraverat) adeo expedite, ut faciebam, legi a me poſſe; quare perinde ac ſi de meo ad comminiſcendum ingenio quidpiam ſuſpicaretur, affirmavit, ſe curaturum, ut quantocius certior interpres ſuperveniret. Viciſſim miratus ſum ego, quo tenderet Salviati polli-

licitatio ista; at ipse paulo post rem aperuit, referens, Cosimi III. uxorem, Ludovici Regis patruelem, adventuram eo ipse die ad Villam, in qua degebamus, spectandi causa ludum, quem eidem ex condicto apparandum curaverat, hominum videlicet, qui saccis devincti, & conclusi cursu inter se contenderent. Igitur hoc quoque spectaculo recreati, gratiisque actis humanissimo ei Præsuli Parisios reversi sumus. Nullum prorsus aliud humanitatis officium mihi ab eodem defuit pauculis illis mensibus, quibus in ea Urbe substitit; nam ipsam cito deseruit, ut ad Avenionensem pergeret ex demandata sibi Pontificia ibidem Ablegatione. Itaque suum me in currum frequenter admittebat, eoque tempore præsertim socium me sibi esse voluit, quo, antequam Avenionem commigraret, ad osculandam manum Regiorum Infantum, Britanniæ scilicet Ducis, & Ducis Andegavensis, Versaliarum castrum adivit; & pariter quo profectus est ad oppidum Sancti Germani *en Laye* Angliæ Regem salutandi causa, ac tandem quo invisit Eleonoram hujus Principis matrem morantem una cum filia adolescentula in Monialium Cœnobio loci *Chaillot* vocati.

Ultimis diebus anni 1711. Cœnobium S. Dionysii petii, ut in eo Natalitia Festa transigerem. Illud autem incolitur a Monachis San-Maurinis, eique præerat eo tempore Diony-

sius

ſius a Sancta Martha, Vir doctiſſimus, & mihi affatim notus ex Vita Caſſiodori, & S. Gregorii Magni Operum Editione. Hæc præſertim effecit, ut colloquendi inter nos materia non deeſſet per eas horas, quas liberas nobis relinquerent ſacra dierum illorum ſolemnia, quibus aſſidue interfui. At ipſe præterea exacte mihi recenſuit pleraque alia Opera a ſe evulgata, nimirum de ConfeſſioneAuriculari adverſusDallæum, de revocatione Edicti Nannetenſis adverſus injuſtas Proteſtantium querimonias, de Studiis Monaſticis adverſus Armandum Rancæum, & demum de Vindiciis Editionis San-Germanenſis Operum S. Auguſtini. Operi Galliæ Chriſtianæ, quod Sammarthanorum laboribus debemus non amplificando tantum, ſed prorſus inſtaurando, & reconcinnando incumbebat maximopere, prodiitque an. 1715. primus ejuſdem Tomus, ut ipſemet ſuis literis mihi Italiam vix ingreſſo datis futurum nunciaverat; nam ita ſcripſerat, *Je compte de donner au commencement de l'Aſſemblèe generale du Clergè de France c'eſt a dire au mois de Juin le premier Volume du Gallia Chriſtiana, qui ſera fort gros. J'eſpere d'en continuer toujours l'impreſſion, ce qui durera au moins encore dix annèes*. Multa ab ipſo ſciſcitatus ſum de Patribus Gabriele Gerberonio, & Franciſco Lamy, qui recens omnino obierant in eo San-Dionyſiano Monaſterio, ut ſuperius dixi; &

ipse diligenter de eorundem Scriptis certiorem me reddidit; pariterque quæstioni satisfecit de Gerberonii orthodoxia, nam ingenue fassus est, postquam iste ad cor redierat, eaque ratione e vinculis evaserat, sanæ eundem doctrinæ constanter adhæsisse, opera præsertim Patris de Loo Præsidis Generalis Congregationis S. Mauri. Post primum illud Volumen Galliæ Christianæ publicavit alterum P. de Sainte Marthe anno 1720. Tertium lucem vidit an. 1725. quo ipso obitus ejusdem successit, postquam regimen universæ Congregationis illius per triennium gessisset, scilicet ab an. 1720. ad an. 1723. Tandem haud reticebo, Patris Sammarthani Scriptiones in contentione suscepta adversus Rancæum, Abbatem Trappensem, haud æque arrisisse San-Germanensibus omnibus, nam quidam ex ipsis nimiam earundem acrimoniam, salesque etiam satyricos, quibus inspersæ erant, insimulabant. Constabant illæ literis quatuor, quæ plures alias seu apologeticas, seu antirrethicas procrearunt; nam Santolius, Canonicus Regularis S. Victoris, Thiersius, le Roi Abbas Altifontis, Tillemontius, Valonius, & alii, suas quisque partes in iisdem controversiis gesserunt. Pleraque ista ante annos viginti contigerant, nam quatuor eæ literæ in lucem prodierant anno 1692.

CA-

CAPUT VI.

De adita Aula Versalienſi, de itinere Remenſi, & de acceſſu ad exequias San-Dionyſianas, primis quinque menſibus an. MDCCXII.

RElicto poſt Feſtum Epiphaniæ Monaſterio S. Dionyſii, & Lutetia repetita, acceſſi e veſtigio ad ſalutandum Cardinalem Deſtrées una cum Montfauconio, noſque ille, ut moris ſui erat, benigniſſime excepit, & cupidum magnopere ſe oſtendit ex me percipiendi, qua ratione binas hebdomadas in eo Monaſterio traduxiſſem. Juſſit itaque, ut craſtino die ambo ipſius menſæ diſcumberemus, quo opportunius, & prolixius meæ illius commorationis hiſtoriam eidem, reliquiſque Convivis narrarem. Adfuimus igitur, & quidem aliquantulum properato, quod eo ipſo die matutinis horis ad me pertuliſſet Comes de Bardi, a Coſimo III. præpoſitus rebus Etruriæ in ea Aula gerendis, ejus Principis Epiſtolam, qua mihi injungebantur partes ipſius nomine implendæ cum Cardinali Deſtrées. Hujus oculis abſque mora ſubjeci Epiſtolam illam, quumque nihil ex ipſa ob literarum notas perplexas, de quibus ſupra, expiſcari ſe poſſe fateretur, Diplomaticam Mabillonii, & Græcam Palæographiam Montfauconii conſulendas eſſe exclamavit; indeque ad Montfauconium ipſum converſus hæc addidit, *C'eſt a Vous*

Mon Pere de dechifrer cela. Oculos Montfauconius in eam chartam intendit, quo acutius fieri posset. At frustra, & frustra quoque in memoriam ipsi revocavi Pauli Apostoli dictum, quod ab eo usurpari solitum, dum Florentinos antiquiores Codices evolveret, auribus meis acceperam, videlicet, *Ex parte intelligimus, & ex parte prophetamus.* Opus ergo fuit, ut fungerer ego interpretis officio, idque ita feliciter præstiti, ut Destrèes, & Montfauconius rem istam æque mirati sint, ac miratum fuisse Salviatum superius narravi. Vicit tamen admirationem illam voluptas, quam hausit idem Cardinalis ex officiosissimis verbis, quibus adversus ipsum utebatur Cosimus III. in ea Epistola, nam hujusmodi erant, *Io godo sommamente che V.P. goda la compagnia di cotesti dottissimi Religiosi, e li favori del Sig. Cardinale Abate, e prego V. P. di voler accertare l'Eminenza Sua ch' io sono il più obbligato servitore dell'Eminenza Sua, e lo dico con tutta verità, e che sono pronto, e desideroso di ubbidirla, e servirla.* Hæc quum legerem, apices quosvis literarum diligentissime notabat Montfauconius, ac proinde petii ab ipso, ut reliqua, quæ mox subsequerentur, ipsemet explicare curaret. Erubuit vero, quod nihilo magis quam antea artis suæ in veterum Codicum notis explanandis specimen edere potis foret; vixque primo risum tenebat Cardinalis, ac tan-

tandem eidem aperte se dedit, postquam intellexit, reliqua illa, quæ legenda Montfauconio obtuleram, ad Montfauconium ipsum spectare, cujus etiam nomen enuntiarent, ita enim illa se habebant, *Prego pure V. P. di ricordarmi servitore al P. Montfaucon*. Ut nomen illud audivit Montfauconius, qui meam illam lectionem oculis lynceis, ut dixi, comitabatur, quodammodo excanduit, atque in hæc verba erupit, *Je parie tout ce que vous voulès que mon nom ne se trouve pas dans ce que Vous venès de lire*. Cui ego respondi, plausitque Cardinalis, *Oui qu' il s'y trouve, & avec l' honneur que Vous meritès*. Post actam amœnam fabulam istam, plura narrare suscepi de admirandis Cosimi III. virtutibus, donec scilicet nunciatum nobis fuit, instructam esse jam mensam, atque epulas appositas. Ut primo discubuimus, ventum illico est ad quæstiones, an scilicet pro uno, eodemque haberem Dionysium Areopagitam, Episcopum Athenienſem, & Dionysium, Antistitem Parisiensem, seu quænam ex duabus sententiis verisimilior mihi videretur, an tradita ab Hilduino Abbate San-Dionysiano in Areopagiticis, quæ collegit, pariterque ab Hincmaro Archiepiscopo Remensi, an vero contraria prorsus Joannis Scoti, cui nomen Erigenes, testimonio suffulta? quid censerem de Innocentii III. Epistola ad Monachos San-Dionysianos, & de munere Corporis S.

Dionyſii Areopagitæ,quo Pontifex ille eoſdem affecerat, ſuæ hujuſce liberalitatis cauſam afferens certiorem perſuaſionem, quam inde habituri forent, ſe germano Areopagitæ Corpore potiri? Multa etiam ſciſcitati a me ſunt de libris, qui Dionyſio Areopagitæ vulgo tribuuntur. Quæſtionibus hiſce reſpondi abſque ulla ferme hæſitatione, quod Sirmondi, Launojique, & aliorum Eruditorum Scripta legendo horas aliquas mei illius San-Dionyſiani ſeceſſus quotidie inſumſiſſem. Præ cæteris geſtire mihi videbatur Montfauconius, affirmans, ex meis ad argumenta illa reſponſis palam fieri, ſe de rara, quam Florentiæ in me deprehenderat, ediſcendarum literarum cupiditate recte judicaſſe, & vera nunciaſſe; moxque Cardinalis intercalare ſuum illud protulit de Montfauconii teſtificatione dictum, quod recitatæ ſuperius ejuſdem Montfauconii literæ declararunt. Affirmavit pariter iſte, ſe memoria tenere, quam acriter coram ipſo adverſus præceptorem meum Alfonſum Maricondam, dum ad ignem una cum aliis in Abbatia Florentina conſideremus, contenderim pro adſtruenda librorum, de quibus agebatur, authoritate, ingenio tamen meo, ut ille ſubdidit, potius quam veritati in illo argumento velificatus. Hæc omnia inter prandendum. Menſa vero remota, plura eloqui cœpit Cardinalis de priſca Abbatiæ San-Diony-

nysianæ ab Episcopali jure exemptione, de privilegio Pontificio iisdem Monachis olim indulto, ut unum ex proprio gremio seligerent, qui, post acceptam Episcopalem Consecrationem, Ordines Monachis ipsis conferret, de concessa ejusdem Abbatiæ fiducia, temporibus Francisci I. Cardinali Ludovico Borbonio, & deinde aliis Abbatibus sine intermissione, donec Ludovicus XIV. mensam illam adjungi Conventui S. Cyri, quem ipse illustrium feminarum Convictui condiderat, ab Alexandro VIII. obtinuisset, ac demum de sacra potestate post eam junctionem inter Parisiensem Archiepiscopum, Monachosque SanDionysianos divisa.

Desinente mense Februario ad Versaliensem Aulam perrexi una cum Fratre, quem ad eam vocabant officia peragenda, antequam Italico itineri Venetias repetiturus se daret. Eandem admodum mœstam invenimus ob funestissimos interitus, qui ante paucos dies evenerant, Regiæ nimirum Delphinæ, deinde Delphini, & præterea ob Ducis Britanniæ pessimum morbum, qui hunc quoque sustulit ineunte mense Martio. Acerbissimas hasce calamitates, quas præcesserat Delphini, filii ipsiusmet Regis, mense Aprili an. 1710. obitus, quibusque paulo post ea etiam accessit, quæ in extremum vitæ periculum adduxerat Ludovicum Ducem Andegavensem (hunc Superi

ri Imperio servarunt) mirabantur Regiæ Aulæ Primores omnes summa constantia excepisse Regem Ludovicum, etsi morborum eorum malitia, seu, ut Medici loquebantur, cœcitas eas suspiciones ingereret, unde magis, magisque Regius animus affligari posse videretur. Tantæ tristitiæ quoquo modo leniendæ, ac solandæ, opportune accidit, valde prospere procedere componendæ Pacis institutas jam Trajecti ad Mosam rationes, quibus præluserat Tallardi Marescalli ex Anglia in Galliam reditus. Ad eum Conventum ablegatus fuerat una cum Marescallo de Uxelles, & Menagerio Abbas Polignachius; quare hujus absentia octidui moram, quam in castro Versalliarum duxi, singulari me voluptate fraudavit, cujusmodi scilicet percepisse me narravi ex adito antea Fontebellaqueo. Frequens autem de more aderam in Ædibus Marchionis de Torcy, fruebarque tum ipsius, tum complurium Aulæ Primatum, qui ad easdem ventitabant, familiaribus colloquiis. Præterea semel, iterumque ibidem occasionem habui colloquendi cum Abbate Joachimo le Grand, cujus eruditionem, in rebus præsertim historicis, haud raro collaudantem audieram Cardinalem Destrèes, sibique bene compertam esse mihi retulerat, quod ejusdem opera, seu ministerio usi fuissent tam ipse in Hispania, quam nepos suus Abbas Destrèes pariter in Hispania,

nia, atque antea in Lusitania, ac tandem suus Abnepos Dux Destrèes, cùi instituendo præpositus fuerat idem Joachimus. Sermones hujusce Abbatis multa me edocuerunt de Thevenotio, de Cointio, de Marollio, quibuscum arctam ille literarum necessitudinem junxerat. At præ omnibus hisce jucunda mihi fuerunt, quæ fusius idem mihi narravit de controversiis habitis cum Gilberto Burnetio Lutetiæ, ad quam iste urbem an. 1685. advenerat, super Historia Anglicanæ Reformationis ab eodem evulgata, & a seipso pluribus locis censorio acumine notata. Recensuit præterea mihi idem Abbas varia ea Scripta, quibus post Burnetii reditum in Angliam controversiæ illæ locum reliquerunt. Hujuscemodi de Burnetii Historia narrationes, quod memoriæ meæ infixæ manerent, dum eandem impugnare suscepi in iis Voluminibus, quibus de rebus Card. Regin. Poli disserui, tunc me illæ suaserunt, ut Abbatis le Grand libros consulerem quotquot ad Historiam illam facerent; hos autem magno mihi adjumento fuisse fateor, ac præcipue commodam valde cessisse ingenuam ejus confessionem, eamque indubiis documentis constabilitam, nimirum Franciscum I. Galliar. Regem adeo non reprobasse diras a Paulo III. in Henricum VIII. Angliæ Regem inflictas, ut ille ex animo fœdus inierit cum Carolo V. ad arma adversus eum Regem movenda, quorum timore adduceretur

iste

iste ad præstandum Romano Pontifici obsequium Apostolicæ Cathedræ nullo modo denegandum. Quo tempore colloquutus sum cum eodem Abbate, operam hic dabat, ex imposita sibi, ut certo novi, a Marchione de Torcy provincia, historicis Commentariis contexendis ad Monarchiæ Hispanæ, postquam hac Philippus V. potitus fuisset, jura enucleanda. Haud omittam referre multos, variosque eo tempore in singulis, ut ita dicam, Versaliarum angulis agitatos fuisse sermones de Commentariolo Theologico inter schedas Delphini ante paucos dies defuncti reperto, cujus scilicet ab eodem, dum adhuc Burgundiæ Dux nominaretur, conscribendi causam præbuisset rumor per Gallias, & extra ipsas etiam disseminatus de propenso ejus Principis animo erga Jansenianos. Ex Aulicis etiam Primatibus quosdam præfracte contendentes audivi, fœtum illum suppositum fuisse a Patre Tellerio, Regi a Confessionibus, seu ab alio Molinianæ doctrinæ principe, aut asseclа; at contra multo sanius mihi sentire videbantur, qui fœtus ejusdem parentem agnoscebant ipsummet Delphinum, seu Burgundiæ Ducem. Tandem Regis Ludovici authoritate dirempta fuit controversia, nam ejus imperio transmissus fuit Romam ad Cardinalem de la Tremoille idem Commentariolus, ut Clementi XI. exhiberetur. Hausit igitur autographum ipsum

sum suis oculis Pontifex, tantoque inde gaudio perfusus fuit, ut una simul ex iisdem laberentur uberes lacrymæ, nec potuerit, quin fateretur, explicatos in eo Scripto de Catholica doctrina sensus hujusmodi esse, qui Principem Theologicis studiis, haud minus quam Theologus, haud minus quam Antistes, excultum referrent. Gavisi sunt præ cæteris Pater Tellerius, Rohanius Argentoratensis, & Bissy Meldensis, Episcopi, quod firma animo meo hæc sederet sententia, nefas esse dubitare de germano Commentarii illius Auctore, paratumque me profiterer veritatem hanc in Italiam propalare.

Initio mensis Martii dulcissimus Frater meus, Patriis, domesticisque rebus ita exigentibus, Lutetiam reliquit, tristis quidem, quod invicem disjungeremur, at magnopere lætus, quod unius circiter anni tempus satis utiliter insumsisset, diligenter ea omnia observans, atque considerans, quæ solertis, cordatique Viatoris curiositatem promereantur. Particeps præterea haud raro fuit colloquiorum etiam illorum, quæ cum eruditis Viris, San-Germanensibus præsertim, atque insuper Renaudotio, Turellio, Dacerio, Regnerio, ac Longuerue miscebam quotidie, pariterque frequenter mecum consedit mensæ Cardinalis Destrées. Socium quoque aliquando mihi se præbuit, dum Bibliothecas, ac Conventus seu Academicos, seu Theologicos adirem, dum Nu-

Numiſmatophilacia contemplarer, dum Speculam ſyderalem conſcenderem, uno verbo nihil eorum omiſit, quæ facerent, ut redux in Patriam civibus ſuis perceptum ab ipſo fuiſſe ex Pariſienſi commoratione ingens emolumentum, comprobaret. Octo vel decem diebus poſt Fratris diſceſſum cupiditas me inceſſit ad Remenſem Urbem commeandi, quo humaniter me invitaverat Archiepiſcopus de Mailly, ſtatuique in eadem Hebdomadam Majorem, & Paſchalia Feſta peragere. Diverti igitur ad Cœnobium S. Remigii, inſigne admodum, ac celeberrimum, indeque Archimonaſterii nomine decoratum. Spectat ipſum ad Congregationem S. Mauri, Monachique in eo degentes curam omnem comiter ceperunt, ut me de iis edocerent, quæ ad illius Hiſtoriam maximopere conjunctam cum Hiſtoria tam Eccleſiæ, quam Provinciæ Remenſis pertinerent. Quare diurnis, nocturniſque horis Flodoardi librum a Sirmondo editum volvebam, indeque plura argumenta depromere mihi libebat, quæ eruditis colloquutionibus cum Monachis illis materiam miniſtrarent. Inter cætera memini, fuſe a nobis diſceptatum fuiſſe de jure, quo gaudent Archiepiſcopi Remenſes, ungendi Ampulla cœlitus demiſſa Reges Galliarum, & copioſius adhuc de Hincmari ſcriptis, geſtiſque. Quoniam vero ægre ferre videbatur Mailly Archie-

chiepiscopus, me Ædibus suis San-Remigianas pro capiendo hospitio prætulisse, nullum omnino diem labi sinebam, quo eundem non inviserem. Interfui etiam aliquando sacris ab ipso solemniter celebratis, ac semel Tenebrarum Matutinis. Hisce tamen meis aditionibus minime ille contentus, omnino a me sibi polliceri postulaverat, convivam me suum adfuturum, quotiescumque divinis illis Officiis assisterem. Æque in epulis, ac in reliquis omnibus, ejusdem magnificentia se prodebat, qua de re certiorem jam me fecerat Cardinalis Destrées. Ab hoc pariter accepi, mente & animo ipsum insistere in rubrum galerum, & quomodo hujus assequendi causa, postquam gratiam Clementis XI. sibi multimodis conciliare studuisset, dum Arelatensibus Infulis potiretur, ad eandem magis, magisque progredi, Remensibus jam ornatus, contenderet. Revera, obortis inter prandendum sermonibus de Tellerii Archiepiscopi, quem Mailly exceperat, regimine, doctrina, atque negotiis, iisque præsertim, quibus ille infestum exhibuisse animum adversus Jesuitas ferebatur, obvium mihi fuit animadvertere, quam caute ipse se gereret, verba scilicet adhibendo, quibus suam quidem testaretur reverentiam erga Decessoris gesta, at una simul propensum erga Patres illos animum haud omnino obscure declararet. Hunc ipsum tamen aperte mani-

nifestare mihi visus est, dum accidit a quodam ex suis Canonicis injectam fuisse mentionem binarum Thesium Jesuitarum, quas Tellerius damnaverat, quasque edito adversus censuram illam libello Pater Daniel vindicare susceperat, & mentionem quoque legis a Tellerio impositæ, seu quam imponere conatus fuerat Regularibus omnibus ad Confessiones audiendas in sua Diœcesi admittendis. Obierat Carolus Mauricius Tellerius sexdecim dumtaxat mensibus, antequam ego Lutetiam adventarem. Franciscus vero de Mailly Cardinalatus honorem accepit anno 1719. ad eundem evectus a Clemente XI. ob zelum erga causam orthodoxam, in propugnanda Constitutione *Unigenitus* ab eodem exhibitum.

In eadem Remensi civitate adest etiam, præter San-Remigianam, Abbatia S. Nicasii, quam pariter incolunt Monachi e Congregatione S. Mauri. Semel & iterum hanc adivi, prandioque ab iisdem exceptus fui. Ecclesiam Nicasiensem nil magis exornat quam Jovini Consulis tumulus. Utriusque Abbatiæ insignis Bibliotheca est, at insignior San-Remigiana ex manuscriptorum Codicum præsertim raritate,& copia. Abbatia Nicasiensis perpetuo annexa reperitur Canonicis Sanctæ Capellæ Parisiensis, San-Remigianam vero obtinebat eo tempore Cardinalis Gualterius titu-

tu-

tulo fiduciario. Binis leucis distat ab Urbe Remorum Abbatia S. Theodorici, quam Innocentius XII. Mensæ Archiepiscopali univit, post Episcopatus Cameracensem, Tornacensem, & Terovanæ, ab ea Metropoli divulsos. Ibi per unam noctem permansi, invitatus a Monachis San-Maurinæ Congregationi adscriptis. Non alius ferme inter ipsos, & me habitus est sermo, nisi de Mabillonii, & Ruinarti rebus, quod Provincia Remensis, seu Campania, ortum utrique dedisse glorietur. Disciplinæ suæ alumnum Mabillonius Ruinartum ibi habuit. In Urbe Remensi lustravi Abbatiam Canonicorum Regularium S. Augustini, & aliquot alias Ædes Regularium Cœtibus addictas, at præ ceteris curiosius Ecclesiam illam Ordinis S. Francisci, in cujus fronte extabat olim, ut bene noram, Inscriptio ista, *Deo homini, & Sancto Francisco, Utrique crucifixo.* Hanc tamen minime inveni, sed ejus loco alteram hanc appositam fuisse deprehendi, *Crucifixo Deo homini, & Sancto Francisco.* Quomodo prima obliterata fuerit ante annos quadraginta Magnorum Vicariorum authoritate narrarunt mihi iidem Cœnobitæ, imo unus ex ipsis statim ad Cellam suam advolavit, indeque libellum attulit, ab Jo. Baptista Thiers de iis Inscriptionibus compositum, meisque oculis ipsum subjecit, haud tamen dissimulans, non innocuas dumtaxat sibi semper

 vi-

visas fuisse binas illas Inscriptiones, sed concinnas, elegantesque.

Post Paschalem hebdomadam Remis Parisios versus iter arripui, vixque eo pervectus, atque Cœnobium S. Germani ingressus de adeundis Abbatialibus Ædibus statim cogitavi; at supervenit Montfauconius, qui monitum me fecit, sibi a Cardinali Abbate, conscio jam proximi mei adventus, injunctum fuisse, ut una simul postero tantum die eundem inviseremus, & quidem sub horam prandii. Præcepto ergo obsecuti accessimus ad Cardinalem appetente meridie, moxque ille suaviter admodum more suo jocari mecum cœpit, commorationis meæ in Remensi Urbe diuturnitatem ita interpretatus, perinde ac si præter Arcum triumphalem ibidem ante triginta & quinque circiter annos detectum, quo Romuli, & Remi, authorum stirpis meæ, ajebat ille, Virgilianum hemistichium ingeminans, *Remo cum fratre Quirinus*, memoria celebratur, novis eruendis ruderibus, quæ eidem magis illustrandæ inservirent, moræ illius tempus insumsissem. De ejus Arcus antiquitate illico copiosissime disseruit Montfauconius. At postquam mensæ consedissemus, ad facetias reversus Cardinalis inter cætera me percontatus est, num Archiepiscopus ex illo ipso hemistichio, isti forsitan haud ignoto, & ex verbis, quæ ipsi Poeta subjunxit, *Jura dabunt*, ansam ce-

cepiſſet Cardinalatum mihi ominandi, an vero deprehendiſſem ejuſdem animum unice applicatum fuiſſe ad ſperandum ſibimetipſi fauſtum illud omen. Riſit ad hæc convivarum turba; ego vero ingenue faſſus ſum, blandis hujuſcemodi dictis ambos quodammodo inter nos certaſſe, & æque ingenue Epiſtolium protuli, quod idem Archiepiſcopus ad me dederat eo ipſo die, quo Remis diſceſſeram, quodque contraditum mihi fuerat a Montfauconio, ut primum heſterno die in Cœnobium S. Germani pedem intuliſſem. Ut ipſum Montfauconio legendum offerrem, juſſit Cardinalis, affirmans eundem bono animo eſse oportere, quandoquidem Remenſis Archiepiſcopi manus ſibi bene nota, multum aberat a magicis illis notis effingendis, cujuſmodi uſum fuiſse deprehenderat Coſimum Etruriæ Ducem. Hæc quum dixiſset Cardinalis, prehendit ipſe manibus ſuis Epiſtolium illud, quod paratus eram offerre Montfauconio, ſtatimque alta voce ipſum recitare eſt aggreſsus in hunc modum, *Je ſuis bien faché, Monſieur, de n'avoir point eu l'honneur de vous voir avant votre depart. Vous nous avès laiſſé une grande idèe de votre profonde erudition, & de votre pietè. Je ſouhaite que des qualitès ſi rares vous meinent aux dignitès, qui conviennent a la grandeur de votre naiſſance, & que le ſacrè College &c.* Poſtquam eo devenerat legendo Cardinalis,

 om-

omnibus precibus ipsum obsecravi, ne ulterius procederet, at nihil profeci, aitque ille ad me *Jota unum, aut unus apex non præteribit*, quod pro re certa haberet, in iisdem non defuturam mentionem aliquam Cardinalatus, cui Archiepiscopus inhiaret. Sua tamen hac expectatione ut se delusum vidit Destrèes, mox serio collaudare cœpit præclara ejusdem promerita, quibus utique Romanæ Purpuræ honor deberetur.

Die 18. Maii ad Cœnobium S. Dionysii una cum Joanne Emo profectus sum, ut agendis in sacra ea Æde solemnibus parentalibus Delphini, & Delphinæ interessemus. Adeo ingens hominum turba ad lugubre illud spectaculum confluxerat, ut ad locum nobis destinatum pervenire licuerit opem ferente dumtaxat Regio Deductore, cui nomen *Sainctot*; is etenim stentorea prorsus voce exclamare opus habuit, *Laissés passer Monsieur le Grand Sage de la Serenissime Republique de Venise*, addens deinde, ne hominum vis me retruderet, *Laissès passer aussi Monsieur son frere*. Postrema hæc verba, quoties mihi in mentem redeunt, maxima voluptate perfundor, quod sentiam eo tempore conjunctam inter nos invicem fuisse amicitiam hujuscemodi, de qua dici valeat, *Nullus amor tali conjunxit fœdere fratres*. Spectaculum illud præsentia sua decorarunt Regii Principes, nimirum Dux Bituricensis, Dux Aurelia-

lianensis, & Comes Carolesii; aberat autem Borbonius, quod ante paucos dies ex ferrea fistula, a Bituricensi Duce inter venandum parum caute displosa, vulnus in oculo excepisset. Funebrem Orationem habuit Episcopus Alectensis, videlicet Jacobus Maboul, quem eloquentia valde excelluisse fidem faciunt plures ejus Orationes typis evulgatæ. Hunc, quod Theologica quoque disciplina insignis haberetur, negotio Constitutionis *Unigenitus* componendo anno 1716. Dux Aurelianensis adhibuit. Feralem diem illum decimum octavum mensis Maii, funestiorem adhuc reddidit obitus, qui eodem die contigit in Regio Castro S.Germani *en Laye*, Mariæ Stuartæ, filiæ Jacobi II. Magnæ Britanniæ Regis, cujus cor delatum fuit ad Ecclesiam Monialium S. Mariæ in Castro Chaillot, quo secesserat Regina ejus mater, ut superius tradidi. Regiis Conjugibus quemadmodum, ut jam jam dixi, Episcopus Alectensis in Æde S. Dionysii, ita in Æde Cathedrali Pater Gaillardus, & in Regia Sancta Capella Pater de la Rue parentarunt.

CAPUT VII.

De reditu ad Fontembellaqueum mense Julio, de assidua deinde cum Blanchino Præsule consuetudine, & de itinere Meldensi mense Decemb. ejusdem an. MDCCXII.

JUlio mense desinente, ad Fontembellaqueum rursus perrexi una cum Joanne Emo. Is quippe, impetrata jam missione a Patriæ Senatu, Lutetiam quamprimum erat relicturus. Adiit itaque Aulam in eo Castro degentem, admissusque fuit ad Regem consalutandum, & ab eo benigne exceptus, pariterque a reliquis Regiæ familiæ Principibus, indeque ab Aulæ primoribus quibusvis, quodammodo inter se certantibus, ut eidem singularia honoris argumenta, quanto maxima potuissent Regio Oratori, exhiberent. Marchio de Tourcy, aliique præcipui publicæ rei Administratores, eundem domi convenerunt æque officiose, ac præstari ab ipsis in more est cum iis, qui Regiæ Legationis munere jam functi suas ad Aulas revertuntur. Adfuit eo ipso tempore in Castro, de quo loquimur, Cornelius Bentivolus, successor destinatus in officio Apostolici Nuncii Augustino Cusano. Hic ante paucos menses Lutetia abierat, ad Cardinalatum jam jam evehendus, eandemque recenter quoque deseruerat Alamannus Salviatus, ex demandata sibi, quam dixi, Avenionensis ditionis regendæ provincia. Adfuit ibidem præterea Franc. Blanchinus, a Cle-

Clemente XI. ad deferendum Armando de Rohan rubrum Birretum ablegatus. Quæ prospere in Belgio gerebantur a Marescallo de Villars, cujus virtute hostiles copiæ ex Denain primum fugatæ fuerant, deinde ad solvendam Landrecii obsidionem adactæ, ac demum ad deserenda pleraque omnia oppida, & castra, quæ illę antea in tractibus iisdem occupaverant, fausta hæc, inquam, gesta sat a perte spectandos mihi præbuerunt in ipso Rege primum, deinde in Aulicis omnibus exsultantis animi motus, quibus similes antea non conspexeram. De iis itaque successibus frequentissimus erat in ore omnium sermo. Non æque tamen omnes in Villarsii plausus conspirarunt, nam non deerant qui male erga ipsum animati limis oculis gesta ejusdem aspicerent. Narratum mihi fuit, Villarsium jam jam in Belgium profecturum hisce verbis Regem compellasse, *Sire, je vais combattre vos ennemis, & je vous laisse au milieu des miens.*

At ego multo libentius, quam de militaribus hisce negotiis, de Ecclesiasticis colloquebar, præsertim cum Cardinali de Rohan, cum Henrico de Thiard, Antistite Meldensi, & cum Tellerio Regis Confessario. Hi omnes ægro animo ferebant, Cardinalem de Noailles nullo modo adduci posse, ut opinionem, quam de Quesnellii Observationibus in Novum Testamentum imbiberat, dum Catalaunensi Eccle-

ſiæ præeſſet, deponeret, utque injurioſam cenſuram, quam in Edicta Paſtoralia Epiſcoporum Lucionenſis, & Rupellenſis intulerat, aboleret. In Ædibus autem Marchionis de Tourcy, ad quas aſſidue de more divertebam, Præſules aliquos nanciſci haud raro mihi contigit, qui Noallio nimis favere mihi videbantur. De negotiis iiſdem apertius, & crebrius, ut par erat, confabulandum mihi fuit cum Bentivolo, atque Blanchino, eoque magis quod recentiſſime Pariſios advectis multa ego enarrare potis forem, quæ libenter audirent. Viciſſim Blanchinus narrare mihi cœpit quanta in ſuo ad Lutetiam acceſſu affectus fuerit voluptate, quod præſentiam Cardin. Rohanii non modo reſpondere adinvenerit expectationi, quam de ejuſdem præclaris dotibus excitaverant tot illuſtrium Virorum teſtimonia, ſed abunde illam ſuperare, ſiquidem ad eundem, omnibus animi, & corporis donis inſtructum a natura, magis, magiſque ornandum acceſſiſſet educatio Viro principe digna, & ad amplitudinem dignitatis, quam recens aſſequutus fuerat, mores ejus compoſuiſſent pietas, ſcientia, comitas, cæteræque virtutes Summo Pontifici, & Regi Chriſtianiſſimo, Gallis, Germanis, civibus, exteris illum unice commendantes. Eximias eas dotes Principis illius Eminentiſſimi jam me affatim comperiſſe reſpondi, quod cum eodem familiariter verſari ex ejus benignitate datum mihi

mihi fuiſſet quatuordecim menſium intervallo, quod magna quidem ex parte in urbe Pariſienſi, aliquando vero in Regiis pagis Verſaliarum, & Fontisbellaquei inſumſiſſem. Addidi, maximam a nobis percipi poſse fiduciam, ut eædem dotes, aucto in præſens eo Principe Romana Purpura, ingens ſint allaturæ præſidium ſartæ tectæ ſervandæ orthodoxæ Religioni, cui maxime adverſos, & infenſos ſeſe eo tempore exhibebant perduelles Janſeniani. Poſt hæc, Blanchinum interrogavi, num Caſſinum, & Maraldum inviſiſſet? num Regium Obſervatorium conſcendiſset? Faſsus ille mihi eſt, jucundiſſimum ſibi accidiſſe, quod eo ipſo loco, quo, dum parum Pariſiis diſtaret, obvium habuit currum ſejugem Cardinalis Rohanii cum duobus nobilibus ejuſdem familiaribus, nimirum Comite Celleſi, Piſtorienſi, & Abbate de Boiſsy Bibliothecario, occurrerint pariter cum ſuo curru ambo illi Viri Clariſſimi, quodque horum inter complexus Lutetiam deductus fuerit ad Ædes Subiſianas, ac tandem quod iidem etiam ſecum adfuerint in prandio poſteri diei, ab Eminentia Sua invitati. Jam percepi, de Caſſino non ſeniori, ſed juniori Blanchinum loqui; quare ſtatim ab ipſo ſum percontatus, num ſeniorem illum adhuc vidiſset? Repoſuit, ſe poſt prandium, quod dixerat, a Cardinali obtinuiſse, ut ad viſitandum properaret optimum illum ſenem,

nem, utique celeberrimum, & diuturnæ amicitiæ vinculo sibi conjunctissimum. Mihi hæc scribenti versatur ante oculos Itinerarium Gallicanum ejusdem Præsulis, manu ipsius conscriptum, quod humaniter manibus meis concredidit Pater Joseph Blanchinus, ejusdem Nepos, & quidem tanto Patruo maximopere dignus. Ex eo itaque libello fas mihi puto hic inserere, quæ sequuntur: *Sejugi curru Eminentissimi de Rohan adducimur circa Solis occasum ad Regium Observatorium, ubi statim conveni optimum senem, oculorum quidem usu ætatis vitio privatum, sed valetudine satis prospera utentem in gravi ætate ad octoginta-octo annos pertingente. Color ei optimus, vires tamen debiliores non permittunt e sede ut plurimum removeri. Sermonis tamen usui nihil ferme ætas detraxit, cum de amicis Romæ, Genuæ, atque alibi memoratis jucunde admodum colloqueretur. Ascendimus inde ad Observatorii partem editiorem, unde Parisios æstimare liceat maxima cum voluptate. Munificentiam Ludovici Magni, & propensiorem in Scientias animum in hoc uno æstimare liceret, etiamsi non adforent tot alia Regia magnificentiæ documenta, quæ bonarum artium præsidium abunde nobis declarant, & posteris testabuntur in tanto Principe constitutum. Amplitudo, soliditas, elegantia molis istius, quæ unice destinatur usui contemplandæ veritatis a divina Providentia operibus suis insertæ,*

cum

cum longe superet aliorum Regum largitates, literarum beneficio impensas, & nota sit cateroquin exteris omnibus, qui ubi Parisios advenerint, hoc præ ceteris ædificium solent admirari, nostra descriptione non indiget. Ingressus fuerat Parisios Blanchinus die 19. Julii, hora sexta post meridiem, statimque se dederat iis parandis, & expediendis, quæ demandatum sibi a Pontifice munus parari, & expediri exigebat, antequam Birretum contraderet. Removenda igitur fuit suborta difficultas de loco, quem in curru Cardinalis obtinere deberet Camerarius Pontificius, dum pro implendo eo munere pergerent ambo ad Regem una cum Regio Introductore. Ex Scripto enim Regii Cæremoniarum Magistri, in quo tota series officiorum digesta erat, quodque Blanchino perlegendum tradiderat Cardinalis, antequam Versalias contenderet ad significandum Regi ejusdem Parisios adventum, locus proximus a Cardinali non ipsi Camerario, sed Introductori præfiniebatur. At pervicit Blanchinus, tam ex consuetudine, quam ex dignitate Sedis Apostolicæ, locum digniorem, nempe ad sinistrum latus Cardinalis, deberi ipsi Camerario, dum Introductor solus ex adversa currus parte sederet. Expedivit pariter quæ spectarent ad Juramentum, quod rite & recte præstitum fuit die 22. Julii a Cardinali Rohanio in Capella domestica Cardinalis Noallii, & in hujus

jus manibus. Qua ratione utrumque hoc negotium ad optatum exitum perduxerit intra biduum, distinctim enarrat ipse Blanchinus suo in illo Itinerario; moxque de Joanne Emo, & de me hæc subjungit: *Die Sabbati 23. Julii mane me invisebat 154., & post ipsum Excellentissimus Jo. Emo, una cum doctissimo P. Quirino. Primus inter colloquendum complura mihi enarravit de Abb. Pass. & D. 258. Cusano nunc Cardinali, quem 211. habet adversum 151. 324. non favet Dño 167. Quin etiam 154. dixit quodammodo laudans Dñm 151. & 324. quod complures 212. abjurare fecerit D. 167. His reposui quæ in 298. dixerat 151. 96. 324. Colloquentibus nobis supervenit D. 101.* Quænam fuerint colloquia illa, quæ obtegere Blanchinus notis arithmeticis (quibus rarissime ille utitur in eo Commentario, tribus scilicet dumtaxat, aut quatuor vicibus) necessarium esse putavit, divinare in præsens nullo modo possum, etsi iisdem interfuerim; nec memoriæ meæ occurrit, quisnam sit ille, qui supervenerit. At me falli non reor, dum censeo designatum notis 154. alium non esse, quam Abbatem Renaudotium. Post narratam, quam in Regia Fontisbellaquei Capella peregit Rex ipse die 25. Julii, contradendi Birreti cerimoniam, rursus mentionem iniicit Joannis Emo, & mei Blanchinus, nam ad diem 27. ejusdem mensis ita scribit, *Antequam Regium cubiculum ingrederer D. Comes*

Comes Pighetti, Ablegatus Ducis Parmensis, in Aula Regia me diu detinuit, admonens paucas ante horas huc pervenisse Excell. D. Emo una cum P. Quirino, quos tamen domi reperire non potui. Et paulo post, *Domi me adibat P. Quirinus.* Deinde vero, *Die 29. Julii profecturus iterum Parisios . . . ad P. Quirinum progredior, qui discessum Excell. Emo imminere dixit, cum negotia in irritum caderent.* Contigit Jo. Emo discessus primis proximi mensis Augusti diebus, acciditque cum acerbo animi mei sensu, ac dolore, quod orbarer consuetudine, ex qua maximam jucunditatem per solidum annum perceperam. Mœruere pariter ob eundem discessum Aulæ Parisiensis Primates omnes, quorum ille amicitiam, atque existimationem cumulatissime collegerat. Viri quoque eruditi cum eo colloqui maximopere gestiebant, ac ultro sunt fassi, rem sibi miram videri, omnigenam in Veneto Senatore, politicis negotiis admodum implicito, literaturam reperiri. Ea vero occasione plures affirmantes audivi, Antonium etiam Equitem Mocenigo, qui ante nostrum in Gallias adventum Legati Veneti munus obierat, admirandum in modum eorundem hominum animos sibi devinxisse, quod literarum studiis (Græcæ pariter linguæ) ita se dederet; ut ad ea excolenda, æque ac ad gerenda Patriæ suæ negotia Parisios advenisse passim censeretur, hæc quidem sumptuose, & splen-

ſplendide, illa vero eximio ingenii acumine. Ambos iſtos præclariſſimos Viros præ ceteris ſuſpexit, & adamavit Cardinalis Deſtrèes, etſi geſta olim a ſe Venetiis pro rebus Italiæ componendis in irritum ceſſiſſe ægro prorſus animo ferret, haud minus quam recentes a Rep. ſuſceptas contentiones pro patriis legibus tuendis in ea cauſa, quam ſuperius indicavi, quæque effecit, ut æque a munere ſuo removerentur tam Pomponnius Abbas Venetiis, quam Mocenigus Pariſiis, Legationem adminiſtrantes. Lutetia ab Joanne Emo deſerta frequentior quam antea adſui Blanchini Præſulis lateri, cujuſce rei complura monumenta in Itinerario, ſuperius laudato, oculis meis modo deprehendo. Ad diem 12. Auguſti hæc habet, *Mane ad S. Dionyſii Cænobium extra Urbem proceſſi, ubi me expectabat Rev. P. D. Bernardus de Montfaucon cum R. P. Quirino, aliiſque ejus Ordinis Monachi ſacrarum literarum peritia præſtantes, nempe R. P. Prior a S. Martha, Sammarthanorum Nepos, & operis proſequutor in Gallia Chriſtiana illuſtranda, nec non R. P. le Nourry, qui Apparatum edidit ad S.S. Patres. Prandio liberaliter excepti ducimur primum ad novi Cænobii fabricam conſiderandam, quæ admodum magnificenter conſtruitur. Hinc ad Eccleſiam deſcendimus, ubi Regum monumenta conſpicimus. Ducentorum ferme Regii ſanguinis Virorum, & Mulierum corpora una hac Eccle-*

ſia

sia continentur. Abbatis Suggeri sepulchrum, & inscriptionem vidimus, ejus scilicet, qui Ecclesiam in hanc amplitudinem pervexit. Ejus ætatem indicant æneæ valvæ, ubi praeclarus ille Abbas substratus mensæ Christi Domini, eundemque adorans exhibetur. In Vitris coloratis fenestrarum, amplissima spatia concinne adornantibus, visuntur historiæ expeditionum sacrarum pro recuperandis Terræ Sanctæ locis, nec non historiæ SS. Martyrum, quorum Corpora Capellæ singulæ circa Tribunam excitatæ continent. In Vitris hisce coloratis historias prædictas exhibentibus observari possunt figuræ vestium Episcopalium, aliorumque Sacerdotum, Monachorum, Regum, Militum &c. duodecimi Sæculi. In una ex hisce fenestris conspicitur Concilium Claramontanum, ubi Pontifex Maximus Crucem, & Mitram ampliorem, Episcopi Baculum incurvum, & Mitram minorem gestant. Imperatorum vestes, throni &c. eadem ferme figura pinguntur, quæ apparet ætate Caroli M. Ludovici Pii, Caroli Crassi in libris Cœnobii S. Pauli via Ostiensi Romæ, aliisque monumentis illius ætatis. Post Ecclesiæ inspectiones ascendimus ad Sacrarium, sive Thesaurum Reliquiarum, ubi Caput S. Dionysii, & complures sacræ Reliquiæ custodiuntur, a Regibus Christianissimis ut plurimum donatæ, quorum etiam corona aurea, & donaria pretiosa ostenduntur. Ea diligenter enumerat Blanchinus, ac demum recensionem suam his verbis claudit, *Communicant*

cant ex antiqua consuetudine Diaconus, & Subdiaconus sub utraque specie diebus solemnioribus inter Missarum solemnia, ubi etiam legitur Evangelium, & Epistola Grace, & Latine. Mei pariter meminit Blanchinus ad diem 19. Aug. quo se ad Cœnobium San-Germanense mane accessisse narrat, & ad oram ita adnotat, *P. Quirinus non aderat, nec non P. D. Anselmus, qui Fontainebleau jam concesserat, tum etiam P. le Nourry, & P. . . . .* Ad Cœnobium redux statim a Montfauconio intellexi, quam avide Blanchinus inspexisset ante horam prandii scriptos Codices Bibliothecæ, post prandium vero, quam valde delectatus fuisset ex ostenso sibi uno ex postremis foliis Editionis Hexaplorum Origenis recens a prælo redditum. Editio illa his verbis a Blanchino ibidem collaudatur, *Quo circa brevi expectare licet opus completum, in quo tria praclara dabuntur, nempe Prolegomena, opus ipsum cum fragmentis Origenianis ineditis, & Lexicon Hebraicum ad voces singulas.* Statimque subdit, *Ibidem nos convenit D. Comes Pighetti de Rivasco, Ablegatus Serenissimi Ducis Parmensis, quem mane domi reperire studuimus, cum literas a D. Comite Baldini mihi reddidisset Dusseldorpii scriptas, ubi me expectari asserebat mense proximo, tum a se, tum a Serenissimo Electore, ut antiquorum numismatum collectionem ab ipso Electore pauculo ante comparatam conspicerem, profecturus etiam*

in

in Belgium, & Hollandiam si voluero. Rursus mentionem mei facit ad diem 4. Septembris hæc narrans, *Dominico die ad Sancti Germani recta ferebar. Missa solemni Monachorum interfui, maxima religione ab iisdem celebrata, præmissa Processione, ut passim fit in Gallia. Eminentiss. Destrées me subinde invitavit ad prandium cum P. Quirino. Aderant Principes feminæ, nempe Ducissa de Estrées, ejusdem neptis, Princeps de Chantillon filia D. de Voisin a Secretis Status, & alia, cujus nomen ignoro. Post refectionem ad Vesperas in Choro concinendas cum P. Quirino. Mox Patrem Generalem adimus præsente etiam Abbate Renaudot, qui Tomum V. Perpetuitatis Fidei, aliumque Tomum suorum Operum in lucem edet quam proxime. De historia Religionis ubique gentium, concinnanda ex relationibus Missionariorum, authorem se fuisse, SS. Patri dixit, ut ea conficeretur. Dixi, exequutioni mandatam ab D. Abbate Forteguerra. A Monasterio S. Germani proficiscor cum P. Quirino ad Cœnobium Dominicanorum, ut inviserem R. P. Natalem Alexandrum. Præstat non minus doctrina, quam facilitate, & moderatione. Venerationis suæ erga Sanctiss. Patrem Clementem XI. documenta protulit typis expressa, cum Commentarios in Evangelia eidem nuncuparet, & complura addidit verbis. P. Quirinus differens de articulis suæ narrationis, qui supprimendi libri, aut censurandi causam dedisse videntur,*

M *eun-*

eundem perpulit ad declarandam sententiam peculiarem nondum editam, qua putat, Sorbonicos conciliari posse cum mente Scriptorum Italicorum, Infallibilitatem Summi Pontificis tuentium. Omnes Catholici consentiunt, Pontificem Romanum ex Cathedra declarantem in moribus, aut dogmatibus Fidei errare non posse. Difficultas est in statuendo, quando censeatur docere ex Cathedra. Doctores Romani *putant, solius Pontificis judicium, nullo assensu Ecclesiæ explorato, esse doctrinam ex Cathedra. Sorbonici videntur assensum Episcoporum desiderare, præter judicium Pontificis. Monet attamen P. Alexander, judicium Romani Pontificis ita continere Infallibilitatem, ut consensus Episcoporum non sit pars constituens substantiam Infallibilitatis, sed conditio declarans visibilem Cathedram ejus Capitis, quod una cum Membris constituit Corpus Ecclesiæ, vocem sui Pastoris excipientis, & internoscentis, ne caput a membris avulsum uspiam appareat. Locum Epistolæ S. Leonis PP. ad Flavianum (ni fallor) hanc ferme expressionem ferentem attulit. Denique, quod caput est, Infallibilitatem Pontifici tribuit docenti ex Cathedra, sed docentem ex Cathedra non agnoscit, nisi præsente Ecclesia sui Pastoris vocem audiente, & adstipulante. Perinde evenire autumat ac in Canone Sacræ Scripturæ definiendo. Pontifex aut Ecclesia non affert assensu suo divinam authoritatem Sacræ Scripturæ, quam ipsa jam obtinet*

ab

ab Authore Deo. Ecclesia recipiens verbum divinum, & asseverans illud esse Dei verbum efficit, ut innotescant filiis qualia sint verba a Deo prolata. Ita etiam censet in judiciis fidei, aut morum a Summo Pontifice *prolatis. Concedit illis nativam Infallibilitatem ex promissione Christi Domini facta* Petro, *& Successoribus docentibus ex Cathedra, sed Cathedræ agnitionem ex Ecclesiæ consensu consequi declarat.* Quomodo vero, diem alium, biduo post jam jam memoratum, integrum cum Blanchino transegerim, fidem facit ipsemet hisce verbis, *Die 6. Septembris me conveniebat mane D. Abbas Renaudot, quicum plurimus sermo fuit de præsenti rerum statu, de Rege Angliæ, ejusque eximia pietate, & constantia in Catholica Religione asserenda contra suorum Regnorum oblationes, si a Fide Catholica descisceret. Narravit etiam pietatis exemplum singulare &c. Mox R.P. Quirinus advenit, quem prandio exceptum deduxi circa horam quartam ad D. Butterfield, apud quem complura Experimenta vidimus magnetica.* His completis adivimus ambo ad S. Germani Cœnobium, nobisque Montfauconius ostendit octo vel decem folia, quæ pars fuerant Codicis Epistolarum S. Pauli, olim asservati in Monte Atho a Monachis Græcis ejus Monasterii, atque una simul retulit, ab iisdem Monachis Presbyterum Latinum plures scriptos Codices comparasse, hosque, circiter du-

centos, Lutetiam translatos Seguerium in ſuam poteſtatem redegiſſe, ac ſuæ Bibliothecæ addixiſſe, quæ modo pars eſt Coisliniana. Ea paucula folia commodata fuerant Montfauconio a Bibliothecæ Dominis, & in illis ſupereſſe vidimus teſtimonium declarans librum fuiſſe deſcriptum ex autographo Pamphili Martyris, quod in Bibliotheca Cæſarienſi aſſervabatur. Novum Convivium, cui adhibiti fuimus a Cardinali Deſtrées his verbis commemorat Blanchinus, *Poſtridie Kal. Octobris poſt ſacra apud Auguſtinianos percepta ad Eminentiſſimum Deſtreum me contuli. Convivæ aderant nobiles, eruditi. Dña Mareſchalla ejus Cognata, & Dña Mareſchalla . . . . P. Quirinus, D. Abbas Dangeau, Marchionis frater, olim ab honore Sacri Cubiculi Clementis IX. & Innocentii XI. qui linguarum ſtudio plurimum valet, & methodos callet admodum faciles alios inſtituendi, D. Abbas . . . . & Illuſtriſs. Dñi Ablegati Ordinarius, & Extraordinarius Florentiæ.* Tandem ad diem 9. ejuſdem menſis ita ſcribit, *In Eccleſia Cappucinorum ſacra percepi. Tum delatus ad S. Dionyſii extra urbem ſero adveni. Solemnis enim Miſſa jam erat abſoluta. Sacro lecto interfui, tum hoſpitio receptus a Rño P. Priore Sammarthano, qui jam menſæ aſſederat cum P. Quirino, Comite Pighetto, & Comitibus de Taſſis (hi Pariſios advenerant ante paucos dies) prandere me juſsit*

cum

cum D. Abbate Renaudot. Post prandium vesperis solemnibus interfui, mira religione celebratis a RR. Patribus, qui nunquam in Choro assident.

Atque hæc sunt loca, in quibus disertam mei mentionem facit Blanchinus. Abiit iste Parisiis die 12. Octobris, iter facturus (Argentoratum versus) per Lotharingiam, & Belgium, unde Parisios rediit anno 1712. desinente. Disertam, inquam; at ego sat bene recordor, me pluribus aliis vicibus, præter memoratas ab ipso, comitem eidem adfuisse, præsertim, dum accessit ad invisendas Ecclesias, Bibliothecas, & Academias. Accessi igitur cum ipso ad Academiam Regiam Scientiarum, quum Præsidis vices in ea gereret P. Guy Soc. Jesu, absente Abb. Bignonio, qui Vesperis in Ecclesia Collegiata S. Germani in Auxerris, cujus Decanatum obtinet, assistebat. Pariter me socium idem habuit, dum postridie se contulit ad Ecclesiam eandem, adstitimusque Missæ solemni Parochiali, & post ipsam audivimus Bignonium per horam integram perorantem, tanta eloquentia, & gravitate, ut plane nobis visus fuerit dici posse Concionatorum exemplar. Conjunctim quoque sacris adstitimus, peractis solemniter in Æde Cathedrali a Cardinali Archiepiscopo, præsertim die Assumptionis, & Nativitatis M.V. Blanchinus autem, donec Parisiis mansit frequentare consuevit eandem Ædem singu-

lis Sabbatis, sacrum privatim legente eodem Cardinali. Quam valde captus foret singulari Antistitis, & Cleri Parisiensis pietate, pluribus ille locis suo in Itinerario testatur, inter cætera affirmans, neminem Clericorum se vidisse, qui vel unum verbum mussitare in aurem alterius auderet, dum laudes divinas concinerent, etsi in solemnioribus diebus Cantus Matutinalis ad horas duas cum dimidia duraret. Præterea, pariter juncti invisimus Ecclesiam, & Seminarium S. Sulpicii, Collegium Patrum Doctrinæ Christianæ, Ecclesiam S. Lazari, Collegium Societatis Jesu, Ecclesiam S. Genovefæ, & plures alias hujusmodi Ædes. Interfui haud raro colloquutionibus, quas ille crebro habuit, præter eos, quos supra nominavit, cum Patribus e Societate Jesu, Harduino, Daniele, Turneminio, & Chemillardio, cum Patre de la Tour Superiori generali Oratorii Berulliani, & cum Patre le Brun ejusdem Instituti. Idem Blanchinus in causa fuit, ut mihi notiores quam antea evaderent nobiles quidam Abbates, & præsertim de Louvois, de Rohan, d'Antin; insuper Abbas de Camps, ad cujus Numismata diligenter observanda repetitis vicibus perreximus. Ea quoque observandi facultatem habuimus, quæ nobis ostendit Regii Cimeliarchii custos Simonius. Tandem elegantiora Parisinæ urbis ornamenta ambo simul

lu-

lustravimus, Palatium Luparense, Palatium Lucemburgi, hortosque Regios *les Thuilleries*. Cardinalem de Janson semel tantum alloquutus fueram in Ædibus Cardinalis Destrées; postea vero, Blanchino me ad ipsum deducente, colloquia nonnulla cum eodem habui, præsensque adfui, dum hic illi contradidit Breve Pontificium, & officiosas commendationes tum Sanctitatis Suæ, tum Cardinalium Paullutii, Otthoboni, Panciatici, de Abdua. Memini, Blanchinum mihi narrasse, quam munifice idem Cardinalis de Janson egisset cum D. Trevisano Cubiculario Honoris, quando ad ipsum cum Birreto Cardinalitio Roma advenit, idque ipsum suo in Commentario his verbis eundem exposuisse reperio, *Curribus suis semper vehendum providit, cum per quinque menses apud se hospitaretur. Bis mille Scutata Jul. X. pro Camera Secreta persolvit in ejus manibus. Donavit eundem donario proprio . . . . . & a Rege donari fecit Imagine adamantibus ornata. Cubiculariis singulis D. Trevisani (duos habebat) singulis, inquam, trecenta scuta, seu doppie centum donavit, & duobus familiaribus pedissequis doppie 50. Viaticum pro regressu in Italiam etiam ministravit, & a duobus pedissequis suis, prater duos, quos ipse duxerat ex Italia, dum Parisiis commoraretur, comitari curavit.* Quæsivi a Blanchino hæc mihi narrante, unde nam rescisset lauti-

tias, & liberalitates istas, atque ipse respondit, se rescisse a D. Abbate Melano. Tunc vero cupiditas me cepit hominis hujus dignoscendi. Postridie ergo ad ipsum accessimus, plurimusque sermo fuit de rebus Romanis, & præsertim (quod annos ille octoginta jam exsuperaret) de Electione Clementis IX. Colloquutus etiam fuit de Angliæ Rege Jacobo III. ejusque constantia in Catholicæ Religionis studio tuendo contra Hæreticorum erga se adhibita lenocinia, ut constantiam illam infringerent. Regias ejus Principis virtutes subortis fere lacrymis celebrantem audivimus aliquando Cardinalem Noallium, qui præterea addidit, ut refert Blanchinus in Itinerario, *Jacobum II. morti proximum de futura hujus Principis felicitate ferme prophetico spiritu prænunciasse, fore aliquando, ut, inimicorum astu superato, faustum, & felix regimen paterno in regno obtineret.*

Lutetia Alsatiam versus Blanchinus die 12. Octobris discessit. Ego vero post duos circiter menses Meldense iter arripui, quod me summa cum humanitate Bissy ejus Urbis Antistes invitasset, selegique ad eam rem Nativitatis Domini tempus, moram ibi tracturus usque ad Epiphaniæ solemnia. Hospitium in Ædibus Episcopalibus haudquaquam adduci potui ut caperem, sed de more cum Benedictinis meis Sodalibus degere decre-

erevi, in Cœnobio scilicet S. Faronis. Singulis tamen diebus Episcopum invisi, ejusque mensæ frequenter accubui. Quoniam autem in spem iste, & quidem juste, ingressus fuerat, se quoque, quemadmodum paulo ante Rohanius, Cardinalatu fore honestandum, omni prorsus ratione studuit, ut facile mihi ostenderunt ejusdem colloquia, ex animo meo evellere quæcumque de ejus doctrina, & gestis, seu Tullensem, seu Meldensem Episcopatum administrantis, renunciata mihi fuissent, unde ipsum Romanæ Purpuræ honore minus dignum aliqui reputassent. Quare de Missarum libro Meldis sua authoritate nuper evulgato multa verba fecit, quo certum me redderet, bina loca, quæ in eodem reprehendebantur, non sibi adscribenda esse, sed Viris doctis, quos novæ ejusdem libri Editionis conficiendæ cura oneraverat. Agebatur enim primo de voce *Amen*, quam addiderant Viri illi tam verbis Consecrationis, quam verbis Communionis Sacerdotis, & quidem rubro colore distincta, quo ipso vox eadem distingui solet in aliis Missarum locis ad denotandum ipsam alta voce seu a populo, seu a Choro recitari debere; deinde vero de interpretatione tradita verbis hisce Rubricæ *submissa voce*, perinde ac si id ipsum significarent, ac verba ista, *sine cantu*, & propterea ita recitari a Sacerdote deberent, ut populus ipsa facile intel-

telligeret, indeque *Secreta* esse desinerent. Hujuscemodi novitatis insolentiam, quæ viam muniret ad Canonem clara voce pronunciandum, adeo Episcopus profitebatur se minime probasse, ut oculis meis subjecerit Edictum Pastorale a se conditum, quin bina Acta Authentica typis pariter se jubente impressa, unde nemini fas foret in dubium revocare, utramque eam novitatem infartam fuisse clanculum in eum librum, ac proinde insciis omnibus, quibus eadem cura commissa fuerat, multoque magis penitus ignaro ipso Episcopo. Æque copiose, æque ardenter mihi asseruit, quam falso, quam temere, & indigne aliqui in vulgus jactarent, se, dum Tullenses Infulas gestaret, Quesnellianis in Novum Testamentum Observationibus favorem impendisse. Utque majorem suis hisce dictis fidem faceret, legenda mihi præbuit bina Pastoralia Mandata, quæ recens ediderat, ad damnandas, quin lato calamo refutandas Theologicas Juvenini Institutiones. Narravit mihi insuper quæ nuperime Regiæ voluntati obsequendo gessisset pro Cardinali Noallio ad saniorem sententiam revocando. Præter Episcopum, familiariter cum pluribus ex ejus Clero versatus sum, & plerosque omnes deprehendi Bossueti Episcopi memoriæ studiosissimos. Inter hos enituit præsertim Dom. de S. Andrea Vicarius olim generalis ejusdem Bossueti, isque mihi ostendit ma-

magnum librorum acervum, quos ad Quietismum refellendum Bossuetus elucubraverat, quibusque deinde ipse est usus ad Bossueti famam vindicandam adversus Monachum Benedictinum, Meldensis Historiæ Scriptorem, Fenelonii Archiepiscopi causæ in eo argumento nimis faventem. De hoc negotio, aliisque jam jam memoratis, non defuit mihi occasio disserendi cum Monachis meis hospitibus, iique omnes una voce Bossueti regimen prædicabant. Haud dispares sensus nactus sum in Monachis Abbatiæ Resbacensis, ad quam parum dissitam ab Urbe Meldensi me deduxerunt Cœnobitæ S. Faronis. Hisce pariter ducibus lustravi binas admodum insignes Monialium Abbatias, sitas & ipsas prope eandem Urbem, nempe Jovarensem, & Sanctæ Faræ, in quarum Claustra, Cellas, & Officinas ut ingredi possem, benigne Antistes indulserat. Jovarensi, quam S. Ado frater S. Audoeni, & discipulus S. Columbani fundaverat, præerat Rohania soror Cardinalis Rohanii; Monasterium vero S. Faræ, quod Virgo hujus nominis Deo ab eodem S. Columbano oblata condiderat, regebat Beringhenia Abbatissa, soror Magistri Stabuli Regii. Tandem perrexi ad Cœnobium Cervi frigidi, quod caput est Ordinis SS. Trinitatis, & Redemptionis Captivorum. Loca ista quum invisissem, haud passus est Episcopus, ut Parisios reverterer,

rer, quin prius Germiniacum, Villam suam suburbanam appeterem, quam egregie excultam, & amœnissimam, quoad hyemalis tempestas patiebatur, inveni. At postquam Meldis discessi, restabat mihi adeunda magnifica domus, seu Castrum *Fresne*, quo secedere consuevit Henricus Franciscus Daguesseau, ut gravissimis, assiduisque occupationibus distentus in exercendo primum Procuratoris generalis, deinde Magni Cancellarii munere, quietis interdum refrigerium perciperet. Eximius Vir iste omni me humanitate excepit, cujus pariter complura argumenta Parisiis mihi præbuit, dum in ea Urbe substiti. Ea effecerunt, ut gratum animum erga eundem testaturus Epistolam ad Clariss. Bozium, quæ quinta est Decadis meæ tertiæ, his verbis concluserim, *Vale iterum, & valere meo nomine jube Virum amplissimum, Franciæ Cancellarium, cui quantum debeam, initium hujus Epistolæ declaravit; atque eidem persuadeas, velim, gratissime meæ memoriæ recurrere quæcumque, dum ad magnificas, excultissimasque ejus Ædes in Meldensi tractu sitas, comite Abbate de S. Andrea, Vicario olim generali Benigni Bossueti, Meldensis Episcopi, adveni, inter nos collocuti sumus de insignibus Cœnobiis ad eundem tractum spectantibus, quorum antiquitates, San-Mauri-nis Patribus me huc, & illuc deducentibus, curiosis oculis (non enim dicam eruditis) lustraveram.*

ram. Addasque, si placet, minime ex eadem memoria excidisse, quod, ut primum Ædes illas ingressus sum, dixi, videlicet, „Me voici dans „le Chateau, ou l'on forge les foudres contre le „Vatican „ namque ad Procuratoris Generalis munus, quod ille eo tempore gerebat, spectat intercedere Romanæ Curiæ decretis, siquidem per ipsa politicarum rerum statu turbari posse contingat, & æque bene recordari responsi ab eodem mihi traditi, nempe „Pardonnéz moi, ces sont les „boucliers contre les foudres du Vatican, que „l'on forge dans cette maison„. Hac non ita bene meminissem, nisi singularem adversus Virum illum, & munere, quo fungitur, & suis virtutibus clarissimum, observantiam mecum in Italiam exportassem. Clausula ista meæ illius Epistolæ novas humanissimas significationes a summo Viro illo mihi promeruit, quarum aliquas ex ejusdem Epistolæ initio huc afferam, ceu Meldensis mei itineris corollarium. *V. E. a bien voulu que je trouvasse ma place dans cet Ouvrage, & je le meritois au moins comm' ayant esté un de ses plus grands admirateurs. Le lieu d'ou j'ay l'honneur de lui ecrire* (Fresnes) *n'y est pas oublié, & je ne l'habite jamais sans me rappeller le souvenir de ces momens trop rapides, mais si doux, & si aimables, que V. E. a bien voulu y passer avec moy. J'estois donc interessè personnellement a faire faire une mention distinguèe, dans le Journal des Sçavans, d'u-*

d'une lettre qui instruira la posterité de l'amitiè, dont V.E. a bien voulu me favoriser.

Postero die meæ Parisios reversionis mensæ suæ assidere me comiter jussit Cardinalis Destrèes, ad quam pariter invitaverat, præter alios convivas, Nuncium Bentivolum. Cardinalatus honor, quem omnimodis circumspectare communi judicio censebatur Meldensis Antistes, politissimas facetias, quibus, ut sæpius est dictum, Destrées abundabat, ex ejus ore elicuit, indeque novum epulis, quibus vescebamur, accessit condimentum. Jocatum in illud ipsum argumentum frequenter fuisse eundem Cardinalem suis in literis ad me datis, postquam Lutetiæ valedixi, invenio, dum earum fasciculus oculis meis in præsens obversatur. Quod, frustra tentatis Ecclesiasticæ Pacis conditionibus ab ipso Destrèes, & Rohanio Cardinalibus, consilium Rex cepisset Romam ablegandi Dominum de Amelot pro eodem negotio pertractando, de Regia hac deliberatione Destrèes ita mihi scripsit, *J'ay bien de la peine a croire, que la mission de M. d'Amelot remette la paix parmi nous, mais je le souhaite avec passion, non plus que la promotion de l'Eveque de Meaux, qui la poursuit jusqu' a solliciter l'Empereur de consentir, que le nommè de France soit presentement fait, renònçant au chapeau, que les Princes auront dans la promotion des Couronnes, & M. de Meaux l'espere.* In alio literarum fasciculo,

culo, quem pariter oculis meis modo usurpo, eæ mihi occurrunt, quibus idem Meldensis conjunctim mihi nunciat & Ameloti Romanum illud iter, & delatam sibi a Rege Abbatiam San-Germanensem, *Nous esperons* (ita ille scribit) *que le voyage de M. Amelot à Rome faira bien tot prendre le parti plus convenable pour calmer la tempête excitée dans l'Eglise de France. Vous avès perdu un bon amy dans la personne de M. le Cardinal Destrèes, mais je vous asseure, que Vous trouveres les memes sentiments, qu'il avoit pour Vous, en son successeur a l'Abbaye de S. Germain des Prez, dont le Roy vient de m'honnorer, ou je voudrois bien Vous voir encore*. E convivio Cardinalis digressus, cum Bentivolo ad S.Germanense domicilium me contuli, plurésque horas eidem libuit mecum ibidem transigere, quas omnes devorarunt quæ hinc inde inter nos sunt dicta de turbis illis Ecclesiasticis, quas valde verebamur ne asperiores evaderent statim ac in lucem prodiret Pontificia Constitutio, de cujus proximo in Gallias adventu certior factus jam fuerat Bentivolus. Fervebat iste mirum in modum Catholicæ Religionis studio, quapropter chariorem me habuit, quod nihil & ipse antiquius haberem, quam ut pro modulo meo eandem causam tuerer. Nostræ huic voluntatum, & studiorum consensioni testimonium perhibent aliquot ejus literæ ad me exa-

exaratæ, statim ac Italicum iter suscepturus Lutetiam reliqui. Eæ me convenerunt in ipsamet Gallia, dum quaquaversus ad insigniora quædam Cœnobia discurrerem, veluti veritus, ne cito nimis Italiæ fines pertingerem. Ex literis illis unas tantum hoc loco recitabo, seu earum fragmentum, quo de mea illa itinerandi ratione Bentivolus argutatur in hunc modum, *Giacchè Ella mi avvisa di far il suo viaggio, non caminando, ma passeggiando, veda com' è ingegnoso l'amore, io la attendo di ritorno in Parigi, e già sono più giorni ch' io esco dalla Porta sempre lusingandomi d'incontrarla. Oh che bella sorpresa faressimo all' onoratissimo Sig. Card. Destrèes, se gli arrivassimo all' improviso in Camera tutti due insieme!* Quod vero maxima hac humanitate complecti me ceperit Bentivolus, dum primo ipsum invisi, demonstrat alia ejusdem Epistola, cujus partem statim subdo. Petieram ab ipso, ut Pontificio Venetias Ablegato Alexandro Aldobrandino per literas me commendaret, quo confidentius, ad eam Urbem advectus, adire ipsum possem. Huic flagitationi meæ Bentivolus ita respondit, *Quando io venni in Francia, nessuno mi aveva parlato in di lei favore, e pure la prima di lei visita fece quella impressione in me, ch' Ella sa. Ora se io che sono un Cieco &c. con quanta maggior facilità Monsig. Aldobrandini, che ha intelletto di lince, &c.*

CA-

CAPUT VIII.

De reditu ad Urbem Parisiensem initio Januarii an. MDCCXIII. *de mansione in eadem usque ad initium Martii, peractoque deinde itinere Normanico.*

PArisios reversus ante medium mensem Januarium an. 1713. maximopere gavisus sum, quod mihi San-Germanenses Ædes ingressuro obvium se fecerit Blanchinus Præsul, quippe qui, de proximo meo adventu jam commonitus, eo accesserat sciscitandi causa a loci Ostiario, quidnam ipse de eodem adventu resciret. Mutuam ergo jucunditatem cepimus ex fausto illo occursu, voluitque ille pro sua humanitate Cœnobii scalas mecum conscendere, & una simul meum cubiculum intrare, ut unam, & alteram horam mecum insumeret, alterna itinerum, quæ recens quisque nostrum confecerat, narratione instituta. Meldensis mei itineris brevitas effecit, ut pauculum temporis ad hydriam meam exhauriendam sufficeret. Blanchinus vero, quod magnam peregrinationem obiisset, narrationibus suis nullum finem facere posse videbatur. Easdem exorsus est a maxima voluptate, quam primo sui Parisiis discessus die, qui fuit 13. Octobris, persenserat ex adita Urbe Catalaunensi. Moram siquidem in ea ducentem Jacobum III. Britanniæ Regem nactus, ad prolixa cum ipso colloquia, ad pran-

dium etiam admiſsus fuit, indeque ſingularem opportunitatem habuit admirandi, quam valde tanti Principis animus compoſitus foret ad omnimodam tranquillitatem, non ſecus ac votis omnibus potiretur. Præſto etiam Blanchino fuit Gaſtonis Noallii, Catalaunenſis Epiſcopi, humanitas, ad quem ſcilicet literas Cardinalis, ejus fratris, pertulerat; colloquutuſque cum eo eſt Blanchinus de mira pietate ejuſdem Cardinalis, ac totius Cleri Pariſini, præcipue in Eccleſia Metropolitana reſidentis. Celebravit maximopere hujus morem ſingulis noctibus ad Matutinas preces ſurgendi, & quidem ipſo mediæ noctis ſilentio. Memoravit pariter plura alia diſciplinæ exempla, quæ in eodem Clero obſervaverat. Epiſcopus viciſſim multa Blanchino retulit de indole ſuavi, ac de virtutibus, & ſolida præſertim religione Jacobi III. Multa etiam invicem verba fecerunt Blanchinus, & Antiſtes de Bibliothecis, & Codicibus manuſcriptis, quibus, haud ſane paucis, & quidem raræ antiquitatis, ſuam Bibliothecam inſtruxerat idem Epiſcopus. Narravit mihi deinde Blanchinus, quomodo ex Urbe Catalaunenſi in Lotharingiam pervaſiſſet, & quam multis officiis proſequuti ipſum fuiſſent Sereniſſimæ illius familiæ Principes. Savernam poſtea, & Argentoratum profectus eſt, ad quæ loca jam ſe receperat Cardinalis Rohanius. Ibidem ſupervenit P. Mar-

Martene Benedictinus, ex pluribus collectionibus, quas superius collaudavi, celeberrimus, quem eo attraxerat lustrandi Archivii desiderium. Cum eo itaque eruditos sermones miscuit Blanchinus; at multo fusiores cum binis Patribus Societatis Jesu, qui Argentorati positis laribus degebant, & ipsis quoque, queraadmodum Martene, perdoctis, & admodum notis ex libris, quos lucubraverant; gravissimos vero, & magnopere molestos habuit sermones cum Duce Bipontino, & Ducissa, qui non verba tantum, sed lacrymas adhibebant ad declarandum quam justa foret Dispensatio, quamque jamdiu a Clemente XI. postulabant, quamque tamen justius remoraretur, ut iisdem Blanchinus affirmabat, duplicis impedimenti complexio, agnatio scilicet inter eosdem intercedens, & Lutherana secta, quam Ducissa profitebatur. Argentorato relicto, percurrit Blanchinus Philisburgum, Heidelbergam, Francofurtum, Moguntiam, Coloniam, & Dusseldorpium. Retulit, se inter Canonicos Moguntinos reperisse Episcopum le Drou, sibi ante Romæ notum, dum Sacristæ Pontificii munus exerceret; Coloniæ vero Alexandrum Borgiam, Pontificiæ Nunciaturæ administratorem; at professus est se nullibi gratius substitisse, quam Dusseldorpi ob lectissimam Nummismatum, Tabularum, & Gemmarum copiam, cujus aspe-

ctu ibidem sibi perfrui contigerat, opera præsertim eruditissimi le Roy. Dum tanti thesauri pretium singillatim mihi describere jam paratus foret Blanchinus, irruit in nos repente Montfauconius, faustum Lutetiam reditum benevole mihi gratulaturus, ac statim subjunxit, eundem compertum jam esse Cardinali Destrèes, ac proinde famulum ad se ablegasse, qui mandaret, ut ambo postero die ejus mensæ una cum ipso Montfauconio consideremus. Incœptas narrationes persequi valde gratum Blanchino fuisset, at Montfauconius jocülariter intercedens, *Hactenus* (inquit) *pro præsenti lectione*. Abiit itaque præpropere Blanchinus; moxque Montfauconius nonnulla mihi indicavit de turbis adversus Patres Societatis Jesu excitatis ob librum ab eorundem Historico P. Josepho Jouvency Romæ publicatum, & recens Parisios transmissum, easdemque certiorem me fecit absque dubio aperte nobis expositurum die crastino, dum prandium cum ipso sumeremus, Cardinalem Abbatem. Vera prædixit Montfauconius; nam Cardinalis, ut primo me conspexit, statim his verbis affatus est, *Soyes Vous le bienvenu. Mais dites moi, quel parti prendra M. l'Eveque de Meaux dans l'embarras, ou se trouvent les bons Peres?* Paucula de eo negotio verba mihi facta fuisse hesterno die a Montfauconio, respondi, at nihil prorsus de eodem Mel-
dis

dis me percepisse. Mox vero ab ovo, ut ita dicam, rem pertractare aggressus Cardinalis, copiose differuit de pluribus iis capitibus, quæ liber ille complectebatur, politicæ Gallici Regni potestati adversantia, dum Catholicorum fœdus adversus Henricum IV. collaudat, dum edicta quædam inflicta adversus Jesuitas a Curia Parlamenti criminatur, dum defensionem Fidei a P. Suario conscriptam commendat, demum dum Pontificiam authoritatem super Regum Temporalia propugnat. Hæc quidem Cardinalis ante prandium. Inter epulas vero plura percontabatur a Blanchino de itinere suo Hollandico, & Belgico, idque ut desiderio meo satisfaceret; nam quidquid pertineret ad iter Lotharingicum, Alsaticum, & reliquum per trium Electorum ditiones, imo usque ad Batavos, acceptum eidem a me ferri professus sum. Horum omnium itinerum descriptiones Tomo altero Commentarii, seu Diarii sui complexus est Blanchinus, initium eidem faciens, ut superius indicavi, die 12. Octobris, finem vero die 31. Decembris.

Digressus ex Ædibus Abbatialibus Bentivolum Nuncium conveni, eique totum me de more patefeci, ac proinde omnia eidem aperui, quæ mihi seu de Meldensis Antistitis rebus, seu de operoso Jesuitarum negotio expiscari contigerat. Investigationes hasce meas probavit haud parum Bentivolus, suasit-

sitque, ut easdem alicui ex amicis meis Romæ degentibus significarem per literas, quas sperare possem ope ejusdem forte subjectum iri ipsius Pontificis oculis. Monitori obtemperans, P. Leandrum de Porzia, Sacræ Theologiæ in Collegio Romano S. Pauli Professorem, postea S.R.E. Cardinalem, selegi, cui easdem darem, cujuscemodi Bentivolus postulabat. Rem successu non caruisse, Viri illius doctissimi, mihique amicissimi responsum, quod statim affero, comprobavit. *Ho fatto passar alle mani del Papa la lettera da lei scrittami, perche S.S. ha desiderato di avere tutte le notizie circa l'affare de' Gesuiti, ed io l'assicuro, che le di lei notizie sono state preferite a tutte l'altre, tanto che la S.S. ha voluto ritenere la lettera, e non solo ha letto ciò ch' appartiene all' affare, ma anco tutt' il restante, ed ha dimostrato un sommo piacere. Con quest' occasione ha detto gran cose in lode della sua Persona. La supplico ad esser persuasa, che si acquisterà merito, e grazia appresso S. Santità con mandarmi frequenti, copiose, & scelte notizie, che io farò passare alla S.S. alla di cui presenza può esser, ch' io abbia l'onore di esser ammesso più che prima.* Quod sua commendatione meas illas literas dignari consueverit Clemens XI. fidem mihi fecit Bentivolus ipse Epistola ad me data, dum paucos post menses Normanicum iter peragerem. Ita enim mihi scripsit, *Quant' a lei io ho*

ho ricevuto un' assai obbligante risposta di Segreteria di Stato, e gliene faccio un regalo, non ostante l'orribile disordine, che ciò può apportar alla supputazione de' miei Registri. A questa buona nuova devo aggiungerne un'altra per avvezzarla alle vicissitudini (parola un poco lunga, ma energetica e grave) o sia alle vicende degli Umani avvenimenti &c. Hicque interponit Bentivolus jocum aliquem, & demum jocose pariter epistolam hisce tribus versibus concludit,

Ab insula deserta, invia, & aquosa
Cornelio Bentivoglio al suo Querini
Manda saluti, e complimenti a josa.

Ludendo quoque ad calcem paginæ hæc Scriptor adjungit, *Nota, Monsig. Nunzio non alloggia più nella Rüe Grenel, ma nell' Isola di S. Luigi.* Negotium vero Jesuitarum, de quo in binis literis jam jam recitatis, hunc finem habuit. Adacti sunt, ut invidiam, qua flagrare cœperat Societas, extinguerent, Provincialis Provinciæ Franciæ, & Præsides tam Collegii Ludovici Magni, quam Domus Professæ ad Curiam Parlamenti accedere, quo die ab eadem pronunciandum erat de libro P. Jouvency, eosque sensus palam profiteri, unde Societatis doctrina Regni, & Sacerdotii placitis omnino consectanea comprobaretur. Quam multis ea de causa, quam sedulis cujusvis generis officiis, demissionibus, & concursationibus curave-

rint Patres tempeſtatem illam declinare, intellexi præſertim ex iis, quæ Pariſiis mihi retulit P. Daniel, deinde P. Tellerius Verſaliis. Eo proficiſcendi, dum cauſa illa ferveret, occaſionem mihi præbuit Bentivolus Nuncius, jubens ut ipſum, ad confabulandum cum Regiis Adminiſtris pergentem, comitarer. Ibidem ſermonibus haud omnino brevibus pro ſingulari, qua me complectebatur, humanitate, detinuit Mareſcallus Noallius, quibus ingenue admodum mihi aperuit, quæ ſentiret tam de negotio illo Jeſuitarum, quam de aliis ad Eccleſiaſticas res Galliæ ſpectantibus. Accidit ſemel, ut, dum ille ex munere ſuo Regi, Strumoſos de more tangenti, huic omnino proximus, inſerviret, mihi nonnulla in ipſius aurem de ſacro eo ritu, ejuſque virtute percontanti, mentem ſuam abſque fuco manifeſtam fecerit, & præterea librum a Daniele Georgio Morhofio de ea curatione conſcriptum indicaverit, & alium a Theologo Argentoratenſi eidem oppoſitum, cui titulus, *Biga diſputationum de tactu Strumoſorum Regis Franciæ*. Noallio ante aliquot annos in partibus hiſce Galliæ Ciſpadanæ Imperatorium munus gerenti, occaſionem, inter complura colloquia ſecum habita, non prætermiſi revocandi in memoriam candidos omnino ſenſus, quos mihi de eo argumento declaravit; iſque rei, de qua agebatur, bene memor mihi re-

respondit, *Je Vous parlay tout franc*. Memoravi pariter eidem lautum convivium, quo Viros aliquos eruditos, meque iisdem permixtum, in Villa sua amœnissima, ni fallor, ad Sequanæ ripas sita, accepit, & risum quem nobis Renaudotius commovit, dum currum ad repetendam Urbem conscendens, ita fatus est, *Notre assemblèe d'aujourdui donnera sans doute a penser a Paris. Si le beau sexe y eut ètè melè, point de soupcon*; ac tandem ejusdem Noallii dictum, *Honny soit qui mal y pense*.

Quoniam vero in Italiam reverti, priusquam annus, in quo versamur, elaberetur, statueram, libuit mihi itineri illi præmittere nonnullas per varios Galliæ tractus peregrinationes, quarum periodum describendi opportunitatem jam mihi obtulit Epistola ad Viros Clarissimos in Regiam Parisiensem Academiam Inscriptionum, & politiorum Literarum adscriptos data ex Villa mea suburbana, S. Eustachii dicta, Kalendis Junii an. MDCCXLIII. quæ secundum locum obtinet in tertia mea Decade. Quædam ergo frusta ex mea illa lucubratione rescindam ad exhibendas descriptiones, quas locus iste deposcit. Spectanda mihi primum sese præbuit Normandiæ provincia. Itaque recta Parisiis contendi ineunte mense Martio Rothomagum, exceptusque in Benedictino S. Audoeni Cœnobio magnam voluptatem percepi, quod in eo nactus fuerim Willelmum Bessinum,

num, qui novæ Conciliorum Normandiæ Collectioni, postquam ei Operi ante binos annos immortuus fuisset Joannes Bellaisus, operam dabat. Is ipse me deduxit ad doctissimum, Patrem Bernardum Lamy, qui in ea Urbe degebat, quemque eo libentius invisi, quod familiares in Italia habuissem libros quamplures ab eo compositos. Multa de eorum argumentis ab optimo eo sene percunctatus sum, & ille quæstionibus meis omnibus humanissime respondit. Inter cætera, eundem interrogavi, num verum foret, quod Florentiæ a Magliabechio inaudieram, librum, cui titulus *La grandeur en general*, confectum ab eo fuisse, dum pedibus iter haberet Gratianopoli Parisios: atque ita revera contigisse ille affirmavit; quin subdidit, morem illum itinerandi a se adhuc retineri, quippe qui ætate licet provecta adhuc soleret quotannis Rothomago Parisios pedibus pariter migrare, & plura interea mente revolvere, atque commentari, eademque exacto itinere in scripta redigere, typisque haud multo post commendare. Carolus Franciscus de Montmorancio, Dux Lucemburgii, Normandiæ Gubernator, multis humanitatis officiis me prosequutus est, quod ipsi per literas commendatus fuissem a Marchione de Tourcy, & ab hujus fratre Episcopo Monpessulano. Aderat una cum eo Gaspar Abeille, Generalis Provin-

vinciæ Normandiæ Secretarius, Vir Gallica poesi admodum insignis; isque vix, aut ne vix quidem a latere meo discedebat, & multa a me de amicis suis Parisiensibus, præsertim de Renodotio, sciscitabatur. Ego quoque contra haud pauca ab ipso sciscitabar de Ecclesiasticis ejus Provinciæ rebus, & in primis de Colberti Archiepiscopi regimine, cui Claudius Maurus d'Aubignè successerat, ex Noviodunensibus Infulis ad Rothomagenses translatus. Hæc omnia argumentum præbuerunt literis, quas ex ea Urbe ad Renodotium conscripsi; quibus iste ita respondit, *Je n'entreprendray pas, Mon Reverend Pere, de me justifier sur ce que je ne vous ay pas encore remerciè de votre lettre obligeante. Il y a un peu de ma faute & je merite quelque excuse, parceque je ne me suis pas bien portè, depuis que Vous nous avez quittè. M. l'Abbè Abeille avoit eu soin de m' informer de votre arrivèe, & si Vous estes content de luy & de M. le Duc de Luxembourg, ils le sont beaucoup de Vous, ainsi que tous ceux qui ont eu l'honneur de Vous voir*. Deinde facetiis quibusdam unum, & alterum inter communes amicos nostros perstringit, quod ita ferret ejus ingenium, aptum scilicet cognomina quædam comminisci, quæ his verbis describuntur in Viri illius Elogio, quod habetur Actor. Academ. T. V. *Epithètes uniques, qui peignent les caracteres d'après nature, &*

qui-

qui chargent toujours le ridicule d'un ſurnom redoutable. Jocatur vero abſque ulla acerbitate in Verrierium, quem Sympoſiarcham vocat, ob morem, quem ſervabat, convivio excipiendi Viros eruditos, ut eruditionis & ipſe famam ſibi inde pararet, quamvis de librorum tantum ornamentis curam ac peritiam præſeferret: indignari vero ſolebat, Boivinium de tricis Italicæ Grammaticæ, quam deperibat, nimis frequentem ſermonem inſtituere. *J'ai fait* (en ejus verba) *vos complimens au συμποσιάρχης qui eſt encore preſt* a dar nelle ſmanie, *quand on luy parle de Grammaire Italienne. J'aurois un expedient a propoſer qui ſeroit ſeur, qui eſt de ne permettre a ὀινοπότης de toucher cette corde ſi non lors que l'autre parleroit de belles marges, de grand papier, & de livres bien conditionnez. Mais je me brouillerois en voulant mettre la paix.* Tandem documentum ad vitam recte inſtituendam ſubjungit his verbis, *Nous avons perdu le pauvre Card. de Janſon qui mourut hier ayant combattu contre la mort depuis ſix mois d'une maniere bien triſte. Dieu luy donne le repos, qu'il n'a gueres eu en toute ſa vie, & lors qu'on y fait reflexion, elle eſt bien mal employèe a ſe donner tant de mouvement pour des entaſſements de biens & de dignitez, qu'il faut quitter.*

Rothomago digreſſus luſtrare primum inſtitui celeberrimas Benedictinas Abbatias haud

haud multum ab ea Urbe dissitas, scilicet Fiscamnensem, Fontanellensem, Gemeticensem, Sancti Georgii, atque Beccensem, eamque ex iis Monasticæ eruditionis suppellectilem collegi, qua nihil mihi jucundius. Quumque ejus circuitionis Renodotium certiorem reddidissem, datis ad eum literis ex Beccensi Monasterio, in quo triduum integrum substiti, quod locum illum illustres admodum memoriæ Lanfranci, Anselmi, Guitmundi, Ivonis, Roberti, aliorumque mihi admodum commendassent, suis ille respondit datis die 31. Martii. Mihi initio gratulatur, ut in superioribus, earum investigationum mearum utilitatem in hunc modum, *J'ay receu, Mon Reverend Pere, la lettre, que Vous m'avez fait l'honneur de m'ecrire du Bec, qui m'a fait un plaisir sensible en m'apprenant le bon estat de votre santè, & la satisfaction que Vous avez de votre voyage. Je comprens aisement qu'aprés des etudes aussi solides que les votres, Vous trouverez un grand contentement a les verifier sur les lieux, & a reconnoitre les traces de tant de grands Saints, qui les ont rendus illustres par leur vertu & par leur science. Vous voyez par vos yeux que la Congregation de Saint Maur se soustient egalement par tout, & que la pietè & la regularitè sont le principal objet de ces bons Religieux, & je suis persuadè que cela ne Vous touche pas moins, que les autres observations que Vous faites.*

Post

Post lustratas Abbatias, quas superius memoravi, alias etiam, quibus abundat Normandiæ provincia, curiose obivi, Trappensem præsertim, Cadomensem S. Stephani, Montis S. Michaelis ad Tumbam, seu in periculo maris dictam. Biduum in Trappensi consumpsi, quod optarem funditus ediscere quæcumque ad Armandi Butillerii Rancei, novæ Observantiæ in eadem institutoris, vitam & Scripta spectarent; ex quibus mihi vel in Italia comperta erant quæ ipse, & Mabillonius inter se pugnantes exaraverant de Monasticorum studiorum ratione. Insuper diligentius investigavi, quo pacto contigerit, ut ea Observantia a Gervasio Abbate, quem post abdicatam a se Monasterii regimen eidem præfici curaverat Ranceus, conflictata fuerit, & quo pacto, ut tanto malo mederetur, Abbatiæ dimissionem obtinere studuerit ab eodem Gervasio ipse Ranceus, suffeceritque Gervasio Jacobum de la Cour. Hic eo ipso anno, quo ego ad Cœnobium illud accessi, Trappensem illam præfecturam ultro deposuit, instituendique Novitios munus accepit. Hæc omnia mihi aperte narravit Petrus le Nain Tillemont, quem valde jucundum mihi fuit superstitem adhuc in eo Monasterio reperire, videre, & alloqui, ac facile ex iis ipsis narrationibus, quam compositus foret ejusdem animus, quam singulari modestia, aliisque Clau-

Claustralibus virtutibus exornatus, quas abunde ejus Scripta præseferunt, intellexi. Ex Trappensi Cœnobio Cadomum migravi, ibique in Benedictino S. Stephani Monasterio humanissime exceptus, multa statim percunctatus sum de primis Danielis Huetii in ea Urbe, quæ ipsi natales præbuerat, studiis, de ejusdem cum Samuele Bocharto necessitudine, quumque ad manus haberem librum ab illo conscriptum de Urbis illius, finitimorumque locorum originibus, quædam ex ipsis invisere mihi placuit, atque inter cætera Abbatiam Alneti, ubi Huetius Quæstiones de Concordia Rationis, & Fidei elucubraverat; Abbatiam quoque Fonteneti, qua a Rege donatus fuerat post abdicatum Episcopatum Abrincensem. In hac ipsa animus ei fuerat lares figere, quos tamen cito deseruit ob forensium ambagum molestias, quas quieti suæ valde noxias experiri adigebatur, ut bonorum, quæ in ea regione comparaverat, possessionem tueretur. Aderat Cadomi Henricus Nesmond, Bajocensis Episcopus, qui auctor mihi fuit, ut lustrarem castrum Toriniaci, in quo visitur insigne Mausoleum Marescalli Matignonii; Toriniacam quoque Abbatiam, cujus Commenda fruebatur Matignonius Episcopus Lexoviensis, item Abbatiam Cordillonii, cui præerat Matignonia Abbatissa. Iter hujusmodi manu sua mihi descripsit optimus ille senex, at ea chara-

cte-

ćterum forma, qua nihil abstrusius, quamque vel ipse appellabat sua in Epistola ad me data *grifonage*. Idem mihi retulit quid causæ fuisset, cur ipse a Monachis S Stephani aliquando abalienatus, adversus quasdam Benedictini Professoris theses in eo Cœnobio publice propugnatas, præsentibus Rectore & pluribus Universitatis (cujus Monachi partem constituunt) Doctoribus, atque Episcopo quoque ejusdem Cancellario, Pastorale mandatum promulgasset. Narrarunt contra Monachi, ei censuræ oppositum fuisse libellum, cujus auctor ferebatur Renatus Massuetus. Tandem ad Normannicum iter complendum Abrincatensem urbem pertransiens, in ea Huetium eius Episcopum plura Pastoralis sollicitudinis monumenta reliquisse deprehendi. Deinde Montem S. Michaelis ad Tumbam & in periculo maris dictum, ascendi, ibique Sanctioris Hebdomadæ dies, & Paschalia Festa transegi. Ea mora opportunitatem mihi tribuit aliquot Epistolis Parisienses amicos conveniendi, ut cum hisce communicarem mearum peregrinationum voluptatem, & fructum. Præsto mihi sunt eæ, quas ad ipsas reposuit Turellius, quem excitaveram, ut mentem suam mihi aperiret de ejus loci sanctitate, scilicet de Apparitione in eodem S.Michaelis, de peregrinationum ad illud frequentia, & præsertim de Missa, quam singulis feriis secundis cujus-

vis

vis hebdomadæ ab ipso S.Archangelo legi solitam, teste Ratherio Veronensi Episcopo, a quibusdam vulgabatur. Eas quæstiones caute elusit Turellius, nec passus est piam ejus credulitatem a me in dubium vocari, *Enfin* (ait ille) *Mon tres R.P. au sortir du tombeau* in periculo maris *Vous allez commencer a revivre pour nous.* Consurrexisti cum Christo, *a qui pour plus d'une bonne raison j'aime mieux que Vous ressembliez, qu'au Lazare* quatriduanus. *Du reste je m'asseure, que Vous avrez payè vos hostes en meilleure monnoye, qu'une calomnie atroce, dont je me laverois au plus viste, de peur que sur vostre perilleuse parole S.Michel ne me battist comm' un diable.*

De Petro Daniele Huetio jam jam memorato addam, me, priusquam Parisiis iter istud confecturus discederem, ad eundem, qui a gravissimo morbo, quo fuerat an. 1712. tentatus, convalescere incipiebat, adventasse, ac vehementer doluisse, quod magnum memoriæ detrimentum ex eo morbo ipsum contraxisse deprehenderim. Abstinui ergo a literariis quæstionibus ei proponendis. At Parisios reversus inveni, memoria ab eodem penitus recuperata, aptum fuisse non quæstionibus tantum meis respondere, sed versus etiam recitare, quos proximis noctibus, antequam somnus ipsi obreperet, condidisset. Octogesimum annum tunc superaverat, vitamque usque ad nonagesimum primum protraxit.

CAPUT IX.

De suscepto a mense Aprili usque ad Julium anni MDCCXIII. *itinere per Britanniam primo inferiorem, deinde per Ligeris aggerem, ac tandem per Campaniam, & Insulam Franciæ.*

Normannicum iter emensus, aliud subinde aggressus sum, quo Britanniæ (inferioris scilicet) præcipuas tres urbes invisi, Redonensem, Macloviensem, & Nannetensem. In prima hospitium mihi præbuit Benedictina S. Melanii Abbatia, in qua nactus sum Guidonem Alexium Lobineau, & ex eo accepi quantum sibi laboris sumeret in ejus Provinciæ historia texenda, & in vindicanda eadem a beneficiario jure, quod ad Normanniæ Duces olim spectasse pluribus editis Scriptis contenderant Abbates de Vertot, & de Thuilleries. A Macloviensi aberat id temporis ejus Præsul Franc. Vinc. Desmaretz; isque singulari humanitate Lutetia ad me scripsit, se dolere ex amissa opportunitate sua mihi officia coram exhibendi. Ex Nannetensi illico advolavi ad Cœnobium B. Virginis de Buzay Ordinis Cisterciensis, maximamque in eo erga me comitatem expertus sum Ludovici de Caumartin, ejus Abbatiæ Commendatarii. Vir eloquentiæ, & aliis ingenii dotibus utique præstantissimus, Præsidisque olim officio functus in Regia bonar. Literar. & Inscript. Academia, innumeros, ut ita di-

dicam,& suavissimos sermones mecum miscuit de Parisiensi præsertim literatura, cujus statum studiose a me indagabat, quod ipse jamdiu ab ea Urbe absens sua in Abbatia degeret, magnificis constructionibus ibidem moliendis valde occupatus. Britannicum hujusmodi iter argumentum præbuit Epistolæ, quam ex ejus provinciæ primaria urbe ad Renodotium dedi, cuique iste respondens plura de lucubrationibus suis mihi significavit,& postea de lectione Hebraici Psalterii, cui vacabam etiam inter iter agendum, hæc habet, *Je suis fort aise que Vous ayez continué le Pseautier : c'est ainsi qu'on se fortifie dans les langues, & particulierement dans le stile de l'Ecriture. Ce sera nous autres & moy particulierement qui aurons a dire* דברי קבות *quand vous nous quitterez, & a lors* תרר עיני פלגי מים. Tandem in studium Etruscæ linguæ, quod avide, & ardenter Boivinius excolebat, ita ludit, *Si M.r Boivin parloit aussi bien, comme Vous ecrivez en François, dans les lettres* alla Crusca nostra appassionatissima Madre, *on ne pourroit le tenir.*

Buzeensis Abbatiæ Præsuli vale amicissime dicto, viam ingressus sum, quam vulgo dicunt *la levée de la Loire*, eamque maxima cum oblectatione percurri a Nannetensi urbe usque ad Aurelianensem, ceu voluptarium ambulacrum, Ligeris aspectu, urbiumque & oppidorum ei adjacentium frequentia admo-

 dum

dum jucunde recreatus. Salmurium ſpectandum mihi primo ſe præbuit, eoque luſtrato perrexi ad celebrem Abbatiam S.Florentii paucis tantum paſſibus ab eo, æque ac a Ligeri flumine diſſitam, atque amœniſſimo loco explicatam. De inſignibus ejuſdem juribus plura mecum diſſeruerunt Benedictini hoſpites mei, mihique præterea deſiderium injecerunt inviſendi celebre Monaſterium Fontis Ebraldi, quin ſocios ejus itineris ſeſe obtulerunt. Tribus illud leucis Salmurio abeſt, eoque dum perveniſſem, curioſe, & avide ſtatim de ſingulari Religioſi Ordinis illius inſtitutione Monachos, & Moniales ita complectente, ut ſupremum tamen ejuſdem regimen penes Abbatiſſam reſideat, quamplura ſciſcitari cœpi. Eorum edoctus jam eram, quæ ex Editione Opuſculorum Marbodi, Redonenſis Epiſcopi, a Beaugendre Monacho Congregationis S. Mauri curata (hanc Florentiæ evolveram) haurire poſſe mihi contigerat, ſcilicet de gravi invidia Roberto Arbriſſello, ejus Ordinis Inſtitutori, inuſta ex cauſa nimiæ familiaritatis inter Monachos, & Moniales ab eodem, ut ferebatur, præſcriptæ. Turonos deinde migravi, & in Monaſterio, quod Majus nuncupatur, hoſpitatus, facile ibi inveſtigare valui quæcumque ad comprobandam ejuſdem dignitatem & amplitudinem facerent. Præberi ab ipſo conſpexi opportunam ſedem Conventibus Generalibus San-Maurinorum. Eximia

mia vero decora, quibus Turonensis Metropolis effulget, abunde mihi narrarunt & ii Monachi, & alii Cœnobii S. Juliani, quod pariter in ea urbe possidet eadem Congregatio. Ægre tuli, Turonis me nequaquam reperisse Matthæum Dervaut loci Archiepiscopum, quem Parisiis frequenter videram, & allocutus fueram; nec unquam, quod ipse munus Auditoris Sac. Rotæ ante aliquot annos Romæ administrasset, colloquiis nostris materia satis ampla defuerat, & præsertim dum mensæ Cardinalis Destreés una simul accumberemus. Aderat vero in Civitate Blesensi, dum ad illam ex Turonensi diverti, ejusdem Antistes, Nicolaus Berthier, quem visitavi, eoque narrante intellexi, quænam foret calumnia suppilati ex ejus Bibliotheca Scripti, quo Arnaldus Analysim tradiderat libri S. Augustini *De Correptione & Gratia*. Antequam Blesis Aureliam adirem, haud omisi invisere magnificas ædes Ducis Mazarinii, qui humane mensa sua me excipere dignatus est. Quæ de eodem Parisiis inaudieram ex multorum narrationibus, occasionem illam cum ipso aliquot horis versandi jucundiorem mihi reddiderunt. Aureliam adveniens nihil prius habui, quam ut inviserem Stephanum Baluzium in ea urbe, Turonensi relicta, ex Regia permissione degentem. De causa ejus exilii, scilicet de Historia Genealogica Alverniæ familiæ, plura mihi

ſtatim expoſuit. Poſtquam vero percepit,libros pleroſque omnes ab eo compoſitos, a me, dum in Italia verſarer, perlectos fuiſſe,& Pariſiis quoque frequenter eoſdem in manibus meis eſſe, inde optimus ſenex non gaudere tantum, ſed triumphare mihi videbatur, quod ſuſpicaretur, nullo illos in pretio ab Italis haberi ob latam adverſus quamplures ex ipſis cenſuram a Romana S.Indicis Congregatione. Jam mihi ſignificatum fuerat, Virum illum nigri illius theta libris ſuis præfixi ita faſtidioſum evaſiſſe, ut amicis ipſum inviſentibus, & cuinam operi edendo vacaret ſciſcitantibus, identidem reſponderet: *Je travaille pour l'Index de Rome.* Incumbentem eundem reperi in Hiſtoriam Patriæ ſuæ, & una ſimul in novam Editionem Operum S. Cypriani. Demum, antequam Ligerim deſererem, adire mihi placuit celebrem Abbatiam Floriacenſem, quo Galli translatum autumant e Caſinenſi Monaſterio, a Longobardis jam everſo, Corpus S. Benedicti. A Monachis illis humaniſſime exceptus, haud tamen omiſi acriter propugnare Caſinatum meorum cauſam, quod memoriæ meæ fixa hærerent, quæ Angelus de Nuce, aliique de eo argumento erudite, & ſolide prodiderant.

Iter hujuſcemodi ad Ligeris aggerem, cui integrum menſem impendi, non meum tantum, ſed præterea Pariſienſium amicorum animum

mum exhilarasse si dixero, fidem ejusce rei perhibebunt eorundem literæ, quas illud peragens pluribus locis accepi, nam eæ maxima ex parte versantur in laudanda Ligerini aggeris amœnitate. Turellius contra, ut ex meis intellexit, Lutetiam a me brevi repetendam, non ut diutius in ea urbe morarer, sed tantum ut Italico itineri capessendo me accingerem, ac proinde statutum mihi esse, horrendum *Ure & seca* tolerare, quod necessario subiturus eram eo die, qui mihi in eadem supremum tempus foret, amantissime mœrorem, quo ex meo illo proposito angebatur, declaravit quibusdam literis, quarum initio ad meam in Cœnobio S. Michaelis mansionem iterum alludendi ansam capit: *Cruel! Vous ne sortès donc du tombeau que pour m'y precipiter? O la belle resurrection! Pouvèz Vous bien a la fin d'un long pelerinage m'annoncer une apparition fort courte, & fort propre a redoubler les horreurs de la grande eclipse!* Ah! que n'a t'il toujours evité de me voir, qu'il auroit espargné de tourmens a mon ame, *a l'ame du mortel ennemi des adieux, ou pour moy certainement il s'agira de bien pis que* Ure & seca, *puisqu'encore que le corps au besoin supporte l'operation du fer & du feu, le coeur jamais n'en admet l'usage. Ne nous tourmentons pas avant le tems, a chaque jour suffit son mal.*

Me Ligeris aggere egressum excepit Cam-

paniæ provincia. In ea ad Senonensem primo urbem perrexi, lustravique in ipsius suburbiis insignia Benedictinorum Cœnobia, scilicet S. Petri, vulgo dictum *le Vif*, & S. Columbæ. In primo ex ipsis ab hospitibus meis certior factus sum egregiæ curæ ab eorum sodali Claudio Hugone Mathoud ante aliquot annos susceptæ, in obeundo Magni Vicarii munere sub Præsule Ludov. Henrico Gondrino, præsertim in reprobandis laxioris Ethices dogmatibus, quibus addictos quosdam Regulares comperiens, eosdem ab excipiendis Confessionibus arcebat, nec non in statuenda pace Ecclesiæ, quæ Clementis IX. dicta est. Quædam insuper insigniora Monasterii illius privilegia iidem legenda mihi exhibuerunt, quæ amicis inter me & illos disputationibus ansam suppeditarunt. Ii ipsi comites se mihi addiderunt in adeundo Ferrariensi S. Petri Monasterio, quod libenter invisi loci illius religione invitatus, & præsertim fama sanctimoniæ, atque doctrinæ Lupi, sæculo IX. ibidem Abbatis, in cujus Operibus illustrandis quam diligentem curam navasset Baluzius eorundem Editionis artifex, iste paulo ante mihi exposuerat. Ab Episcopatus Senonensis finibus discedens, ad Trecensem illius Suffraganeum contendi, consedique in suburbano ejus urbis Cœnobio S. Petri de Cella, ex quo multos prodiisse compereram sanctitate, doctrina, ac dignitate illu-

lustres Monachos, etiam Tricassium Antistites, ac præ cæteris Petrum, Cellensem vulgo dictum. Præerat id temporis Trecensi Ecclesiæ Dionysius Franciscus Bouthillier de Chavigni, aderatque simul in eadem urbe Franciscus ejus patruus, Præsul ipse antea Trecensis, qui ambo existimatione & gratia postea valde floruerunt apud Ducem Aurelianensem, Galliæ Regentem. Hi plura mihi officia summa cum humanitate præstiterunt, & memini ipsos curiosius a me investigasse, quid de doctrina, & de sanctimonia Armandi Abbatis Trappensis, eorundem consanguinei, sentirem, postquam Abbatiam illam lustrassem; eosdem autem ad confirmandam, quam de eo conceperam, opinionem plura vicissim mihi retulisse. Officiosissime pariter me excepit Catalaunensis Episcopus Gasto de Noailles, Ludovici Cardinalis frater, quem conveni in Abbatia Altivillarensi, cujus ipse Commendam obtinebat, quatuor tantum leucis ab urbe Remorum remota, quo curandæ valetudinis causa secesserat. Post multa ultro citroque dicta sermones Præsul convertit ad turbas, quibus Gallicana Ecclesia eo tempore agitabatur. Ego vero eosdem declinandi cupidus, alios, non omnino quidem ab eo dissentaneos, sed veteris eruditionis sapore conditos, scilicet spectantes ad Altivillarenses Antiquitates, promovere satagebam, verba faciens

ciens de varia Gothescalchi fortuna, qui in eo ipso Cœnobio in carcerem detrusus, ibidem extremum finem sortitus fuerat. Lustraveram, antequam adirem Abbatiam Altivillarensem, Monasterium Catalaunense S. Petri in Monte, & Dervense, quod Bercharius primus ejus loci Abbas exstruxerat. Postea vero adivi celebriora Cisterciensis Ordinis Cœnobia iis in partibus sita, nimirum Clarevallense, Morimundense, & Pontiniacense, in quibus licet minime nactus sim doctos ita Monachos, ac illi, quos mihi passim Benedictinæ San-Maurinorum Abbatiæ offerebant, attamen volupe mihi fuit primaria illa institutæ a S. Bernardo Reformationis Asceteria percurrere, eorumque statum oculis meis considerare. Cisterciensium Cœnobiorum circuitio ista literas elicuit, quas ad me dederunt Turellius, & Renodotius. Eæ Turellii peregrinationibus meis non ita blandiuntur, quin una simul me moneant, quoniam nondum Parisiensis literaturæ oceanum exhauseram, magis decere, ut ad eundem cito reverterer, quam ut cisterninis aquis delectarer. Oceani nomen aptat Turellius Abbati de Longuerue ob literaturæ vastitatem, nomenque Solitarii, quod lares suos vix, aut ne vix quidem desereret. En literæ Turellii. *En qualité de fils du souverain Patriarche des Cenobites, Vous chassez donc librement mesme sur les terres de S. Bernard? Votre curiosité in-*

insatiable ne ressemblet' elle beaucoup a l'appetit Eminentissime, fort approchant de la soif d'un hydropique, & par consequent incompatible avec le Satis Domine. *Je Vous avoue que si les temoignages charitables de votre precieux souvenir ne me rassuroient, je craindrois pour moy le* multa hospitia, nullas amicitias *du voyageur. Nostre illustre Solitaire avec toute sa modestie ne peut se mesconnoitre aux traits delicats de votre fidele pinceau, & Vous embrasse de tout son coeur. Je pense comme Vous a ce propos, & je ne puis comprendre, qu'un homme de votre caractere cesse de pomper dans le vaste Ocean d'erudition par la pure fantaisie de puiser dans des simples cisternes. A Dieu Mon Reverendissime, je soupire après le* Canis Syrius, *qui doit Vous ramener. Deussiez Vous revenir avec une humeur cent fois plus vagabonde. Revenez, volage, revenez. Ce petit essay de votre absence ne me vaut que le triste avantgoust des maux, qu'un plus long eloignement me prepare. Le digne Prelat qui Vous possede, pourra bien Vous fixer, ou du moins retarder plus que Nous ne voudrions; ce qu'il gagnera me console presque de ma perte, faites en sorte qu'il me sache quelque grè d'un tel Sacrifice.* Renodotius quoque ad me scribens, ursit & ipse reditum meum, quod multa Parisiis messis colligenda adhuc me maneret. *J'ay reçu Mon Reverend Pere la lettre que Vous m'avez fait l'honneur de m'ecrire de Clairvaux,*

vaux, ou je vois bien que Vous n'avez pas trouvè de grands Docteurs. Il y a long tems que je sçais combien les enfants de S.Bernard sont eloignez de tout ce qui peut orner l'esprit d'un bon Religieux. Vous avez vu les bons : si vous avez passè en quelques endroits de non Reformez, Vous aurez vu de jolis garcons. Il me semble au reste que votre tournèe a estè assez longue, & que vous deviez penser a nous revenir voir: au moins ces sont les souhaits de touts vos amis. Vous n'avez pas encore tellement moissonnè Paris, qu'il n'y reste de quoi vous occuper utilement. Je Vous ay mandè que je n'avois pas eu un grand commerce avec vos compatriotes. Cependant je les vis tous rassemblez Mardy dernier chez M.r l'Abbè de Pomponne a disner avec Mess. les Cardinaux d'Estrèes, Gualterio, Polignac: ce fut cependant une entrevüe de pure civilitè, & M.r Marcolini, qu'on dit avoir quelqu'amour pour les lettres, m'en parla un peu. Mais il faut remettre tous ces discours a votre retour, que j'attens avec impatience.

Remorum urbs restabat mihi adeunda, antequam Campaniæ finibus excederem. Eam vero priusquam adirem, advolavi ad lustranda quæ in eo tractu sita sunt, duo antiquissima & maxime illustria Cœnobia, nimirum S. Basoli, & Avenacense. Primum eo curiosius inspexi, quod jam nossem ibidem coactum fuisse Concilium, quo Remensis Sedes, pulso inde Arnulpho Archiepiscopo, adjudicata fuit Ger-
ber-

berto, qui postea Romanam ascendit, Silvestri II. nomine assumpto. Ea Arnulphi abdicatio ansam mihi præbuit post binos annos jocandi in quadam Epistola ad Cardinalem de Fleury, adhuc Forojuliensem Episcopum, & Regis Præceptorem, atque Abbatiæ illius, ut putabam, Commendatarium, nam ipsum monui, ut caveret, ne tragicum illud exemplum in ea ipsa Abbatia nostris temporibus instauraretur; quod monitum ille quo ferebatur intelligens, hæc reposuit: *La crainte de voir renouveller a S. Basle l'histoire des Arnoux me l'a fait quitter, & le feu Roy m'a donnè l'Abbaye de Tournu, qui est beaucoup plus belle, & dont les Fastes sont moins tragiques.* Avenacense Cœnobium a Sanctimonialibus incolitur, a quibus tam multa accepi de ejusdem dignitate, juribus, & opibus, ut earum judicio adeunda mihi fuisset Campania vel unius Avenacensis Cœnobii visendi causa. Demum Remos attigi, & quoniam rara quælibet, & singularia ejus urbis jam proxime præterito anno inspexeram, libuit mihi cum San-Remigiani Cœnobii Monachis eruditos sermones serendo diem solidum transigere, quin ex illo pedem efferrem. Itaque ejusdem Tabularium, & Bibliotheca horas omnes illius commorationis sibi vindicarunt, quibusdam ex doctis illis Ascetis nunquam e latere meo discedentibus. Prima studiorum tyrocinia in eo Mo-

Monasterio a Mabillonio, ac Ruinarto posita, susceptumque ab ipsis ibidem Monasticum schema, effecerunt, ut varia de Viris illis præstantissimis ab iis Monachis mihi narrata jucunde perciperem; at una simul dolorem renovarunt, quem Galliam ingressus conceperam, quod neutrum superstitem reperire mihi contigisset, ut alibi dixi. Remis haud nactus sum Franc. Mailly Archiepiscopum, qui ab aliquot mensibus Lutetiæ morabatur.

Licet reditum meum Lutetiam & amicorum ex ea urbe literæ, & æstivi calores urgerent, adeundam tamen ipsam non decrevi, nisi Insula Franciæ, cujus illa caput est, peragrata. Itaque Suessionensem, Laudunensem, Noviodunensem, Bellovacensem, Sylvanectensem Diœceses percurri, quas omnes ea Insula complectitur. Suessione me exceperunt Monachi S. Medardi, cum quibus amice pugnavi de fide Privilegii, quod Gregorius Magnus Gairaldo ejus loci Abbati concessisse proditur, quippe qui evulgatas de eo argumento Dissertationes ab Joanne Launojo, & Roberto Quatremaires Parisiis perlegeram. Præerat ejus civitatis sacris Fabius Brulart de Sylleri. Monasterii autem S. Medardi Commendatarius Abbas de Pomponne, quemadmodum Parisiis mecum humanissime agere consueverat, ita ab ejusdem Cœnobii sui Priore certior factus me ibidem fere integrum diem substitisse, literis

teris suis mihi conscriptis testatus est, se eo acrius dolere officia sua adventui illi meo defuisse, quo magis de eodem Monachos S. Medardi gavisos fuisse ex literis Patris Prioris intellexerat: *Je vous asseure* (ait ille) *que mes Religieux Vous desireroient, au lieu de l'Abbaye de S. Georges, une grande charge dans leur Congregation.* Ex Gallici Legati munere, quod Venetiis obierat Abbas de Pomponne, factum est, ut ipse Monasterium S. Georgii Majoris, potius quam alia, in quibus Benedictini Itali resident, memoraret. In urbe autem Laudunensi exceperunt me Monachi S. Vincentii, quos de rebus gestis in eo Episcopatu a Cæsare Cardinali Destrées adeo multa interrogavi, ut ipsi vel ex illis quæstionibus intellexerint, eundem compertas mihi reddidisse Parisiis, quas ille in ea Sede administranda Pastoralis sollicitudinis rationes inierat, forti utique pectore, ut accidit in causa adversus Abbatiam Præmonstratensem, caput Ordinis, Lauduno parum distantem, quam Episcopali suæ jurisdictioni armata, ut alibi dixi, manu obnoxiam esse voluit. Unus & alter ex Monachis S. Vincentii me ad Abbatiam eandem deduxerunt, curaruntque, ut a Præmonstratensibus funditus de ea causa edocerer. Profectus deinde sum ad Abbatiam Cistercienfem de Longuepont; nam hanc quoque lustrare mihi libuit, ut eidem Cardinali,

illius

illius Commendatario, gratificarer. Occurrebat tunc memoriæ meæ ipsum mihi narrasse, eandem sibi in utero materno delitescenti a Rege destinatam fuisse, matri scilicet suæ promissam, si fœtus, quem paritura erat, masculus foret. Narraverat etiam, se admodum juvenem a Cardinali de Retz interrogatum, quænam forent ejus Sacerdotia, & quantus eorum census, inter illa quod memorare omiserit Abbatiam de Longuepont, increpitum propterea ab eodem Cardinali, statim subdidisse, se eam quidem pariter possidere, *mais elle est frontiere de Coeuvres*: hoc autem dicto patrem suum, potius quam se, ejus Abbatiæ proventibus frui significavit. Monachi S. Eligii, apud quos in Noviodunensi urbe hospitatus sum, eo pertransiens post Laudunensem relictam, præter ea quæ de ejus Cœnobii celebritate mihi exposuerunt, plura de Francisco Clermontio, ejus urbis paucos ante annos Episcopo, mihi recitarunt, faceta præsertim illius dicta, quæ ipsa Lutetiæ ex plurium relatu perceperam. Digressus ad Bellovacensem urbem, hospitium cepi in Cœnobio S. Luciani, ibique Benedictini, qui illud obtinent, Monachi, mihi inter cetera ejusdem monumenta exhibuerunt Diploma Chilperici Regis, quem Monasterii instauratorem agnoscebant, eum scilicet ipsum, qui Sancti Germani, seu, ut olim vocabatur, S. Vincentii, suburbanam apud

apud Parisios Basilicam in novam formam redegerat. Tandem lustrata Compendiensi S. Cornelii Abbatia, & Sylvanectensi urbe a longe tantum salutata, ad Calense Cœnobium quatuor circiter leucis Parisiis distans accessi. Sanctimonialibus Regii illius parthenonis, a Chrothilde Regina, Chlodovei Magni uxore, conditi, & Balthildis Reginæ, post depositam Regni administrationem, secessu nobilitati, sacra ministrantes nactus sum Benedictinos Congregationis S. Mauri, iique mihi affirmarunt, unum illud esse in tota Gallia, ubi ministerium illud ad Monachos a principio, & deinceps semper spectaverit, ex more, qui in aliis quoque Virginum Cœnobiis passim olim viguit, tractu vero temporis alibi obliteratus fuit. Iidem exoptarunt, ut Cœnobium illud invisens, Aloysiam Adelaidem Aurelianensis Ducis filiam quatuordecim tantum annos natam alloquerer, quo certior fierem quam constans ea foret in proposito Monasticæ vitæ arripiendæ. Revera haud multo post illam amplexata est, & brevi Abbatissæ etiam gradum obtinuit, ex quo ad cœleste domicilium ante aliquot annos convolavit.

Postremam hanc per Insulam Franciæ itineris mei periodum Turellii literæ testificantur. Eas exorditur ab officiosis verbis, quibus condecorat Joannem Emo, & Joannem fratrem meum, qui, ut superius dixi, eundem sibi val-

de familiarem reddere Parisiis curaverant, ingenii ejus acumine & elegantia capti; deinde nuncia quædam de publicis rebus in itinere a me captata refellit; postea polymathiam, quam Picardam vocat, quod eam mihi comparassem in lustrandis locis ad Picardiam olim pertinentibus, non omnino probari affirmat Abbati de Longuerue, saltem quod spectat ad ea, quæ scripseram occasione lustratæ a me S. Marculphi Ædis in Diœcesi Laudunensi, quo Reges Christianissimi post sacram Unctionem in San-Remigiana Basilica acceptam pergere solent, donum etiam strumosos sanandi cœlitus accepturi; tandem reditum meum Parisios acriter, æque ac jocose, sollicitat. Eæ literæ ita se habent. *Quant a l'erudition ramassée sur votre chemin, quant a cette polimathie Picarde qui brille dans votre nouvelle Epistre, n'avez Vous pas honte de sçavoir ce qu'ignore le Sçavant par antonomase* (Abbatem de Longuerue intelligit) *ou par excellence? Vos decouvertes, touchant le pouvoir despotique de guerir certaines maladies, l'ont plus diverti que persuadé. Il m'a paru beaucoup moins incredule sur les tendres tesmoignages de votre cher souvenir. Aux enseignes que j'ay, je m'acquitte d'une commission fort expresse d'embrasser cordialement le plus digne trompette de ses louanges. Au reste Vous ne me dites plus rien de ce bienheureux retour, qui au milieu de la canicule peut*

nous

nous valoir une rinfrescatà , *& par ou nous devons* ferrare agosto. *Pretendez Vous continuer encore long temps votre course vagabonde? Songez que le Danube bon Catholique en sa source, ne tarde pas a devenir Lutherien, & puis force de voyager finit par se faire Turc : Rarement a courir le monde on devient plus homme de bien. Advis au Lecteur*. Ipse vero Longuerue gratulatus mihi est meas illas vagationes, de ea ad Ligeris aggerem scribens, *Je vois, que vous avès suivi le projet, que vous avès fait chez moi d'aller en Bretagne, & de la a la riviere de Loire, qui est un tres beau pays, & dont les agremens paroitront dans le mois prochain.* Meminit postea Abbatis Alary, cui salutem meo nomine dixerat.

Quo die Lutetiam ingressurus eram, eo tendens diverti ad memoratam a me alio loco splendidam Villam ad Matronæ & Sequanæ confluentem sitam, in quam suetus erat secedere singulis hebdomadis Cardinalis de Noailles, ut per solidum diem sibi tantum vacaret. Votis meis respondit eventus; nam eundem ibidem nancisci contigit, & adeo humane ipse me excepit, ut minime passus sit, duarum horarum iter, quod mihi Lutetiam usque supererat perficiendum, a me continuari, nisi post sumptum cum eo prandium. Quam valde pro modulo meo studuerim colloquiis, quæ ea occasione cum ipso habui, ejusdem a-

nimum ad saniora consilia deflectere, postquam certum sibi esse mihi affirmaverat, Constitutionem Clementis XI. adversus Quesnellii Animadversiones in novum Testamentum quamprimum in lucem prodituram, & qua ratione in aliis etiam colloquiis ante, & postea cum eo me gesserim, imo & in litteris, quas ad ipsum dedi post reditum meum in Italiam, fidem in primis faciunt eæ, quas ille mihi reposuit die 21. Martii anni 1729. ac propterea paucis tantum hebdomadis, antequam e vivis excederet; nam ibi collaudata, quam ad ipsum transmiseram, Benedicti XIII. Imagine ex ære excusa, & in qua præter cetera Pastorale ipsius Mandatum pro acceptatione Constitutionis *Unigenitus* repræsentandum duxeram, hæc habet: *Cette piece ne m'est pas seulement chere par ce qu'elle represente, & par la main d'ou elle me vient, mais encore pour la place que j'y occupe. Je la dois au bon coeur de V.E., & a la justice qu'elle rend a ma soumission la plus respectueuse & la plus tendre pour notre Saint & Sçavant Pontife. Ces sentimens sont trop justes pour n'estre pas sinceres, ils dureront autant que ma vie. Je supplie V.E. d'en vouloir bien estre la caution, comme elle m'a fait l'honneur de l'estre de mon attachement au S. Siege, & de mon amour pour la paix.*

CA-

CAPUT X.

De reditu ad urbem Parisiensem mense Augusto an. MDCCXIII. *Fontebellaqueo adito mense Septembri, illaque urbe repetita mense Octobri, ac tandem de Versaliensi Aula visitata mense Novembri.*

EX semestribus peregrinationibus, quas binis superioribus Capitibus descripsi, Lutetiam regressus mense Augusto, æque amanter, suaviterque a San-Germanensibus meis exceptum me vidi, ac exceptus fueram, dum primo eorundem tecta ante duos annos subirem. Statim vero tam multis, variisque interrogationibus, priusquam etiam viatorias vestes deponerem, adoriri me, & appetere cœperunt, ut, siquidem ad eas omnes respondere suscepissem, perpetem noctem inter colloquendum pervigilare adacti fuissemus. Nicolaus de Nourry in tanta Sodalium turba omnimodis nitebatur, ut me totum sibi vindicaret, innumera prorsus uno spiritu continenter percontatus de Normannorum suorum moribus, nam sperabat fieri non potuisse, quin ii mihi admirandum in modum placuissent. Ortum ille duxerat Dieppæ in provincia Normanniæ an. 1647. atque in Monasterio Rothomagensi S.Audoeni tyrocinium veluti posuerat Antiquitatis Ecclesiasticæ illustrandæ, adjutans Patrem Garetum, & Patrem Belaise

 in

in adornandis Editionibus Cassiodori, & Ambrosii, at postremam istam Parisiis tantum perfecit Jacobi de Frisch adjutor, quod superius pag. 91. adnotandum a me fuerat. Intercessit Montfauconius ne quoquo modo Nourry cupiditati satisfacerem, quin prius apposita foret mensa ad cœnandum, pro re certa habens, ut aperte fassus est, paucioribus eo tempore usurum Nourry interrogationibus, ne videlicet cæteris edentibus ipse jejunium servaret, me autem alacriorem ad respondendum futurum, quod eo ipso die laute cum Noallio Cardinali prandissem. Ut primo mensæ assedimus, libuit mihi quæstionem instituere de Normanniæ Ducum in Britanniæ ditionem juribus, hæcque præfracte contendi nullo unquam tempore ad eosdem attinuisse. In medium igitur attuli quotquot de eo argumento mecum differuerat in Monasterio Redonensi P. Lobineau, unde meridiana luce clarius innotesceret, Britanniam omni tempore immunem fuisse beneficiarii illius juris, quod Normanni falso jactabant, ac proinde ipsam in Galliæ Coronæ dominationem immigrasse, postquam Principibus tantum suis per annos mille paruisset. Subdidi, me ita confidenter loqui, quod plura hinc inde scripta de ea controversia in eodem Monasterio evolvissem, præter Historiam compositam ab eodem Lobineau, ex monumentis tamen, ut ipse in-

ingenue mihi affirmaverat, diligenter collectis ab Antonio Gallois, cui curam hanc demandaverat P. Maurus Audrenus, dum Cenomanensem S. Vincentii Abbatiam moderaretur, is ipse, quem Parisiis reperi officio fungentem Assistentis, ut vocant, Patris Generalis. Mea ista libertas, seu fidentia in dejiciendis Normannis ex eo jure, quo ipsi maxime gloriabantur, angebat mirum in modum P. Nourry, inde autem hilarius cibos sumebant quotquot aderant convivæ, sui illius Sodalis, in quas se se ipse conjecerat, angustias clanculum gaudentes. Tandem ad eundem ab ea molestia levandum Montfauconius, Massuetus, & Coutantius, abrupto, qui longius productus jam fuerat, sermone, multa me rogarunt alternis vicibus de rebus Trappensibus. Contra ego ab ipsis quæsivi, qui factum foret, ut Abbatis Rancæi partibus, potiusquam Mabillonii favere suscepisset Jo. Baptista Thiersius, quem in aliis causis valide pro Benedictinis stetisse jam noram; præsertim dum eosdem ab injuriis, & probris Launoii vindicavit. Iidem mihi responderunt, pravam animi sui in scribendo affectionem multo magis Thiersium patefecisse, dum edita in lucem Dissertatione refutare aggressus est veritatem Lacrymæ Christi, in Vindocinensi Benedictinorum Cœnobio servatæ, refutare, inquam, ceu vacuam, & anilem

fabulam adversus Mabillonium, qui pro tuenda diuturna possessione, unde legitimam præscriptionem exoriri Jurisperiti una voce confitentur, valide pugnaverat. Ex injecta Vindocinensis Cœnobii mentione interrogavit me Pater Martianæus, num Salmurienses S. Florentii Cœnobitæ mihi persuasissent, germanum esse Godefridi Abbatis Vindocinensis fœtum Epistolam, quæ ab eo scripta ferebatur de Fontebraldensis Ordinis institutione. Moxque ego ita esse affirmavi, quin addidi, authentiam etiam Epistolæ, de eodem argumento exaratæ a Marbodo Episcopo Redonensi, mihi jamdiu innotuisse, dum nimirum Florentina studia peragerem. Subdidi præterea, eosdem tamen Cœnobitas pro piaculo habere rumores disseminatos ad revocandam in dubium Roberti de Arbrissello, ejus Ordinis Institutoris, sanctimoniam. Demum haud omisi narrare, Præpositum ejusdem Monasterii, quum me humaniter excepisset, inter cætera mihi significasse, adeo anxias esse solere Abbatissas, ne Primatui suo in universum Fontebraldensem Ordinem detrimenti quidquam inferatur, ut aliquando acciderit, unam ex ipsis, dum animam ageret, quum se Sororis nomine vocari intelligeret, *Ma Soeur*, a Præposito, qui ei bonus hortator aderat, vel suprema illa hora monere eundem non dubitasse, se ab eo non Sororem,

sed

ſed Matrem eſſe nuncupandam. Hæc a me audiens Martianæus, certiorem me fecit, Claudium Chantelou, Virum inter San-Maurinos multigena eruditione præditum, curatoremque Bibliothecæ Aſceticæ Patrum, Tomis quinque vulgatæ, nomen primo dediſſe Ordini Fontebraldi, at in eo minime perſeveraſſe, quod abſonum ipſi videretur, regendi ejuſdem poteſtatem non quidem ad Monachos Sacerdotes, ſed ad Moniales pertinere. Horam jam adveniſſe cubitum eundi, repente Montfauconius pronunciavit, ſimulque a me quæſivit, num Normannicis narrationibus quidquam addendum mihi ſupereſſet, unde magis, magiſque contriſtatus Nourry inſomnem noctem traducere adigeretur. Repoſui, unum reſtare, quod a Nourry libenter intelligerem, cauſam ſcilicet, qua adductus Huetius lares, quos ſibi figendos, poſt abdicatas Abrincenſes Inſulas, in Fonteneti Abbatia ſtatuerat, cito prorſus deſeruiſſet. Id quum dixiſſem, veluti indignatus P. Nourry hiſce me verbis increpavit, *Vous eſtes un drolle*, quippe qui optime conſcius erat, Normannicas in litigando verſutias ad turbandam, qua ſua illa Abbatia fruebatur, prædiorum quorundam poſſeſſionem, multo magis ſtudiorum ſuorum tranquillitati exitioſas expertum fuiſſe Huetium, quam curas ipſas Epiſcopales. Harum ſarcinæ portandæ eundem pa-

parum aptum existimantes Abrincenses rustícos quosdam, conquestos fuisse, quod malè secum a Rege actum foret; quippe qui Antistitem ipsis dedisset, cui studiorum suorum curriculum nondum esset confectum, jam diu mihi innotuerat, remque istam ipso quoque Huetio teste deprehenderam.

Postero die ad Cardinalem Destrèes, qua primum hora adiri is potuit, salutandum accessi, moxque mihi significavit ex datis a me ad Parisienses amicos literis sibi bene compertas esse periodos quascumque itineris a me confecti, frustraque me facturum, si eas memorarem, addiditque *major rerum modo nascitur ordo*, ex accessu scilicet ad Parisiensem Aulam Cardinalis Polignachii, Cardinalis Gualterii, Abbatis Passionei, Pompeii Aldrovandi, ac demum ex Constitutione Pontificia adversus Propositiones quamplures Quesnelliani libri certo certius Romæ brevi evulganda. Prodiit revera ipsa paucos tantum post dies. Ut primo autem Parisiis disseminatum fuit Apostolicæ Sedis Oraculum illud, omni prorsus veneratione dignissimum, statim in ea urbe non defuisse qui ipsum futilibus, seu procacibus cavillationibus obnoxium reddere, ex animi seu pravitate, aut infirmitate, omni studio contenderent, hoc illud est, quod amare conquerentes audivi Viros, quos jam jam nominavi, in colloquiis, quæ mecum familiariter habere di-

dignabantur, præter ipsos vero, Rohanius Cardinalis, Gesvrius Archiepiscopus, & Episcopus Bisſy, & omnium quidem maxime Nuncius Bentivolus. Ea recensere hujusce loci esse non puto, quod apertissime sese prodent in literis, quæ proxime subsequentibus Capitibus recitabuntur, ac proinde brevi a præsenti Capite me expediam.

Medio mense Septembri profectus sum ad Fontembellaqueum, quo Regia Aula concesserat; adfuique dum ibidem Constitutio Pontificia, de qua loquimur, Regis manibus exhibita fuit a Bentivolo. Hunc memini Orationi suæ hoc initium fecisse, *Ecco finalmente, o Sire, l' Apostolica Costituzione tanto aspettata dalle genti &c.* Ad verba ejuscemodi quod non omnino attente animadvertisset Marchio de Torcy, etsi proximior Nuncio ea recitanti foret, quam ego, inde festiva nata est paulo post inter nos controversia, num eadem Nuncius vere protulisset, quod ille negabat, ego vero affirmabam. Eadem autem sublata fuit, dum postero die Torcy occasionem cœpit Regis de ea re testimonium explorandi, hocque deinde ingenue fassus est mihi favisse. Assiduus erat de more apud eundem Marchionem Cardinalis Polignachius, nec aliud ferme tectum per hebdomadam, quam in eo castro duxi, habitabamus, Passioneus, & ego, indissolubili nexu con-

conjuncti, æque ac Hagæ Comitum ante tres circiter annos. Eruditos ſermones, quos nobiſcum conferebat Polignachius, alternabat iſte Poematis ſui lectione, qua mirum in modum recreabamur. Accidit ſemel, eandem cœlo veſperaſcente nondum abſolvi potuiſſe, noſque proinde extra tectum repente emigraſſe ad ipſam lunaris ſyderis ope perficiendam; dum autem eo languidius refulgente verba quædam legentis oculos fugerent, ſcite admodum & argute Paſſioneum exclamaſſe, *Carmina, quæ cœlo valeant deducere lunam*. Tanto plauſu exceptus a me fuit Horatii verſus iſte, reique, locoque mirifice accommodatus, ut ejus celebrandi nullam occaſionem omiſerim tota ea hebdomada, qua dixi me ad Fontembellaqueum ſubſtitiſſe. Eum ipſum mihi memoraſſe reperio Marchioniſſam de Torcy in literis, quibus magnopere probans conſilium, quod ceperam, reviſendi, poſt aditam inſulam Lirinenſem, ſua in urbe Epiſcopali Andream Herculem de Fleury, Antiſtitem Forojulienſem, deinde ſubjungit, *Mais puiſque vous eſtiès en train de rebrouſſer chemin, Vous auriès bien dû donner cette meſme marque d'amitiè a vos amis de Paris, & a ces bords charmans de la Seine, qui vous ont tant plû. Le Cardinal de Polignac vous] y auroit fait part encore de nouvelles merveilles, & l'Abbè Paſſionei ne vous auroit point enlevè l'oc-*

ca-

casion de placer Carmina, *que Vous auriès eu lieu de citer plus apropos que jamais. Cet ouvrage a fait un grand progrès depuis vostre depart, & vos louanges ont tellement ranimè le goust de son Autheur pour lui, qu'a force de travailler il s'est si bien subtilisè le sang, qu'il en a estè presque malade les jours passès. Cett'incomodité est finie, & mesme n'a estè rien, car vous series tout propre, malgrè le juste sujet que vous avès de vous plaindre de lui, c'est a dire de son silence, d'estre en peine de sa santè. Je souhaite que la vostre soit aussi parfaite que la sienne, après tous les voyages que vous avès fait, & qu'entre la multitude des choses que vous y avès vue, vous vouliès bien conserver quelque souvenir de l'estime & de l'attachement &c.* De singulari mea cum Passioneo necessitudine hoc etiam addam, eandem in causa fuisse, ut ægre admodum tulerim incassum me laborasse ad molliendum Cardinalis Destrèes animum haud mediocriter commotum adversus eundem, quippe qui Batavæ suæ commorationis intervallo, nullum nec sibi, nec amicis aliis Parisiensibus vitæ signum præbuisset, veluti immemor eorum omnium officiorum, quibus in ea urbe degens honestatus fuerat. Legitimam omnino excusationem in Epistola ad me data afferebat Passioneus suæ illius taciturnitatis, quod imperata scilicet hæc ipsi foret ex duro rerum statu. Curavi, ut eam Epistolam

Car-

Cardinalis perlegeret, rogavique, quantum valui, ut ad ea præsertim verba benigne animadverteret, *Est il possible, Mon tres cher Amy, qu'un des Grands hommes de notre Siecle puisse refuser la grace, que je demande? estant pret de recevoir telle mortification qui lui plaira de me donner, j'attendray sans delay quelque reponce, & taschès qu'elle soit pour rendre la tranquillitè a mon esprit*. Æque ac ego, operam perdidit in hoc negotio pertractando Abbas Destrèes, apud quem Passioneus in eadem illa Epistola certiorem me fecerat suam illam excusationem valuisse.

Mense Octobri Lutetiam repetii, ibique usque ad initium Novembris permansi, familiariter versando cum iis omnibus, quorum subinde mentionem in superioribus Capitibus feci, præsertim vero cum Viris eruditis. Deliberandum mihi fuit eo tempore cum Montfauconio de ratione amoliendæ invidiæ, cui nos ambos obnoxios effecerat Dissertatio de Fabula Ordinis Constantiniani Parisiis recens impressa ex transmisso ad me Verona exemplari, typis vero concredito a Montfauconio, ut Authori suo, amico nostro, gratificaremur. Incredibile est, quot machinas adhibuerit Comes Pighettus, Parmensium Ducis Ablegatus, ad detegendas fallacias, quibus fabrefactam fuisse suspicabatur ejus Dissertationis Editionem, Principi suo, Magno ejusdem

dem Ordinis Magiſtro, injurioſam. Tandem innocuus utriuſque noſtrum animus Pighetto Comiti compertus fuit, in cujus rei fidem Montfauconii literas recitabo ad me ſcriptas paucis diebus, poſtquam Italicum iter ingreſſus fuiſsem. Eæ ita ſe habent, *Hier le Comte Pighetti vint me voir, il me parla fort gracieuſement, & me mit d'abord ſur la Diſſertation contre l'Ordre Conſtantinien, comm' en ayant appris les particularitès par votre moyen, & comme etant bien informè que vous aviès eu quelque part a l'impreſſion. Je fis toujours votre apologie, l'aſſeurant, que ſans le temoignage qu'on vous avoit donnè, vrai ou faux, que S. Alt. le Duc de Parme n'y prenoit aucune part, vous ne vous en ſeriès jamais mèlè. Il me dit, & me repliquat ſouvent, qu'il connoiſſoit mieux que perſonne la droiture, & la fincerité des vos intentions. Je fus long tems a voir a quoi ſe termineroit l'entretient, il me dit enfin, qu'on faiſoit une reponſe, qu'il ramaſſoit bien des choſes, qu'y pourroient ſervir, qu'il me viendroit voir pour me prier de lui aider a chercher. Je lui temoignois que je le ferois volontiers, il finit en me diſant, qu'il me prioit de relire la piece. Je lui dis que j'aurois bien de la peine a la trouver, & que je n'en avois aucune. Je m'en tiendrai lla.*

Ineunte menſe Novembri ad Verſalienſe caſtrum acceſſi, ut Regem, Galliam jam jam re-

relicturus, consalutarem, persolveremque Aulæ Primoribus ea urbanitatis officia, quæ ipsis debebam ob singularis benevolentiæ argumenta mihi impensa, præsertim vero a familiis de Rohan, de Armagnac, de Polignach, de Tresmes, de Villeroi, d'Estrées, de Noailles, de Livry, ac tandem de Torcy, quæ primo loco erat nominanda, namque ex ea seu Marchio, seu hujus uxor, siquidem coram ego adessem, dum alios ad prandium invitarent, *Pour vous* (ajebant ad me conversi) *on ne vous prie pas, car on vous regarde comme l'enfant de la maison.* Dignatus est ipsemet Marchio Regis conspectui me sistere. His autem me verbis Regia Majestas statim compellavit, *Est il vrai que vous avès etè si content de Paris, & des provinces de mon Royaume?* Reposui ego, *Oui, Sire, & je regarderai le tems, que j'ay passè dans la France, comme le plus beau, & le plus utile de ma vie.* Tunc Rex benignissime subdidit, *Je suis bien aise de cela, & je vous promets que vous seres aussi content de ma personne dans tout ce qui dependra de moi.* Perrexit deinde Rex ad sacrum audiendum, moxque nobiliores Aulici, qui ipsum circumstabant, certatim mihi gratulari cœperunt uno fere ore dicentes, *Ah que le Roy vous a bien gracieusè!* Quibusdam ex ipsis suadentibus salutatum etiam adii Ducem Aurelianensem, isque summa benignitate me ex-

excipiens adeo multa a me popoſcit de mea commoratione Pariſienſi, deque Gallicis meis peregrinationibus, ut per ſeſquihoram ſua me præſentia frui paſsus fuerit. Ingenii, qua ipſe præditus erat, præſtantiam ſat mihi demonſtrarunt colloquia illa; ejuſdem vero erga me benevolentiam literæ aliquot, quas ab eo, dum rerum poſt mortem Ludovici Magni potiretur, in Italiam redux accepi.

Priuſquam e Verſaliis abirem, cordi mihi fuit opportunitatem captare in congreſsum cum Patre Tellerio veniendi non quidem tumultuarium, ut antea paſſim acciderat, ſed prolixum, tranquillumque. Rei ſecurus, ad eum acceſſi, quodque in manu mea haberem Fenelonii, Cameracenſis Archiepiſcopi, literas nuperrime ad me datas, ſcilicet die 19. Octobris hujuſce anni, ortum inde traxit valde ampla colloquiorum noſtrorum ſeges. Horum igitur ſummam percenſuiſse cenſebor, ſi majorem earundem partem ſubjungam, quæ hujuſmodi eſt: *J'ay reçû, Mon Reverend Pere, avec un grand melange de joye, & de triſteſſe la lettre, que Vous m'avès fait l'honneur de m'ecrire. Rien n'eſt plus cordiale, ni plus aymable, que cette lettre. J'en aurai toute ma vie le coeur attendri. Je n'en excepte que les louanges, dont je ſuis honteux. Mais je ne me conſole pas de perdre toute eſperance de vous poſſeder ici. Je ne vous y ay vû, que dans un tems de trouble, ou je n'avois au-*

cun moment de libre. De puis ce tems la je n'ay eu qu' un embarras continuel, sans pouvoir respirer. Enfin Dieu me rend le calme, & Vous m'echappés. Un autre ne pourroit il point vous soulager pour vos balots? Pour moi, je vous envoyerois tres volontiers un relais au devant vous aussi loin qu' il vous plaira pour faciliter votre voyage. Jugés s' il vous plait par cette offre de la joye, que j' aurois de vous embrasser, & de vous entretenir, ou pour mieux dire de vous ecouter. Je suis fort aise, Mon Reverend Pere, de ce que vos ètudes du Cabinet ne vous ont point empechè d' ètudier les hommes. En connoissant Paris vous connoissès le gros de toute la France, dont' il est le centre. On doit craindre pour les sçavants de nòtre nation les Jansenistes, & les Critiques. Les premiers ont un tres dangereux entètement sur un fisteme insoutenable, qu' ils pretendent voir clairement dans S. Augustin, & qu' ils expliquent suivant leurs prejugès, sans rendre cette explication dependante des decisions faites par l'Eglise. Ce parti loin de diminuer, croist tous les jours, & poussera de proche en proche la dispute jusqu' a des grandes extremitès, si Dieu, qui est le maitre des cœurs, ne les modere pas. Il faudra malgrè tous les temperaments, dont on use, que le Saint Siege aille enfin par ses decisions jusqu' a la racine de cette controverse, un peu plus tost, un peu plus tard, il faudra y venir. Pour les Critiques, leur hardiesse

diesse

diesse fait tout craindre &c. Rome doit veiller a fin que Pierre confirme ses freres par son autoritè, c'est par la doctrine qu'elle doit presider au dessus de nous. Si vous veniès ici, je serois charmè &c. Tellerius lecta hac Epistola, maximisque elogiis commendato Scriptoris zelo, petiit a me, ut eandem in manibus ejus relinquerem; exemplar inde depromendi, suasque inter pretiosiores schedas servandi summopere cupidus, qua in re officii mei esse putavi, ipsius desiderio obsecundare. Brevi universam Aulam pervasit nostri illius colloquii rumor, & literarum earum summa, quod ibidem complures Primores Fenelonius sui nominis singularem in modum studiosos haberet, quorum scilicet animis nihil offensionis instillaverant turbæ adversus ipsum ante nonnullos annos coortæ ex Telemachi primum libro, deinde ex Mortuorum Dialogis, ac tandem ex Quietismi doctrina. Marchio de Torcy quodam die appetentissimum se mihi præbuit Epistolæ ejusdem assequendæ, quod ipsam Regis oculis sese exhibiturum spopondisset. Eandem propterea semel, iterumque memorari reperio in Conjugis ejusdem literis, *Je sentois* (ait illa in iis quas ad me dedit altero mense post meum Lutetia discessum) *que si j'egalois au moins M.r de Cambray dans les sentimens d'estime qu'il a conçus pour votre personne, & pour votre merite, je manquois aussi*

 de

de ses tours, & de ses expressions heureuses pour les expliquer, & je trouvois bien favorable pour moi, que mes interets sur ce point fussent confiès a l'eloquence de M. le Cardinal de Polignac, quoique je n'esperasse d'avoir de long tems l'avantage, que j'en attendois. En m'ecrivant vous avès abregè toutes ces peines, ou me mettoient la crainte, que vous ignorasiès ma sensible reconnoissance, & mon respect pour vous, & celle de les mal exprimer, car la necessitè de repondre a une lettre ausi remplie de bontè, & d'amitiè, que l'est celle que vous m'avès fait l'honneur de m'escrire, excuse bien l'incapacitè de le bien faire. Et in aliis exaratis post fata Cardinalis Destrées, & Archiepiscopi Fenelonii, quæ intra unum mensem evenerant (obiit enim iste die 7 Januar. an. 1715. ille vero die 18. Decembr. an. 1714.) utraque his verbis conjungit, *Ma crainte ausi n'est jamais sans esperance, quand je pense a votre indulgence sur le defaut de vos amis. Depuis bien peu de temps vous en avès perdu deux, qui devroient vous rendre bien difficile sur le choix des autres, & si vous les preniès pour modelle, vous en trouveriès peu capables de les remplacer. J'ay pensè d'abord a la peine que vous sentiriès de leurs pertes, & j'ay mesm' imaginè que l'affection, que vous conservès pour celle respectable Maison de S. Germain, vous feroit peut estre penser &c.*

CA-

CAPUT XI.

De suscepto Italico itinere mense Novembri an: MDCCXIII.*aditisque ea occasione primum utriusque Burgundiæ tractibus, deinde vero civitatibus Cabilonensi, Matisconensi, & Lugdunensi, atque ex ista, post invisum Cœnobium S. Claudii in monte Jura, civitate Gebennensi, ac tandem de celebratis Festis Natalitiis in urbe Annecienst.*

QUod persuasum haberem, etsi de hac re minime me monuissent jam jam recitatæ Epistolæ verba, amicorum delectum difficilem mihi admodum in posterum futurum, postquam amicitiæ florem in Galliis libassem; id effecit, ut ex Fontebellaqueo Parisios redux, easdem deserere cogitaverim omissis consuetis ad impetrandam discedendi veniam officiis, quippe qui dolorem inde exoriturum sustinere me posse diffiderem. Amicis ergo insalutatis Lutetia tacitus me proripui primis diebus mensis Novembris, & Burgundiam versus iter cepi, quo ut primum pervectus fui, assequutæ me sunt literæ Cardinalis Destrèes incomparabili prorsus humanitate exaratæ, quam hisce verbis declararunt, *Je m'attendois, Monsieur, a vous donner encore* un tenero, e filiale abbraccio *avant nostre separation, & il me restoit ce me semble de quoy remplir une longue conversation & je ne vous*

vous aurois renvoyè si viste, si je ne avois crû que nous nous reverrions; | *& un homme qui a sçû tout sacrifier aux pieds des autels, & qui soustient si dignement ce sacrifice devoit monstrer plus de constance en cette separation, ou pour le moins me laisser le choix de regler notre fatale entrevüe. Cependant la raison que vous m'allegué est si flatteuse pour moy, que je vous avoüe, que je vous en dois tenir conte, comme de toutes les autres marques d'amitiè, que vous m'avès donnè depuis votre sejour icy, & qui n'ont pas faite moins d'impression dans mon coeur, que vostre merite dans l'estime de toute la France. Je n'en excepte pas mesme les Dames de la Cour, chose rare dans un sujet si exemplaire. J'en ay mandè mon sentiment au Grand Duc, & j'ay donnè la copie de ma lettre a M. Ruzini. Je vous y qualifie son Religieux, & vous l'estes; mais vous n'estes nè sujet que de vous mesme,* insigne prerogativa. *Je l'ay priè de vous la monstrer, & de vous dire que pour avoir le plaisir de vous louer, je m'expose par mon mechant Toscan a perdre ma place de Cruscante, que j'avoue posseder indignement. La Pourpre peut estre m'en garantira. Je m'attends bien au moins M. que vous me donniès de vos nouvelles de vostre route. Je vous recomande le soin de vostre santè, car je veux que vous viviès pour acomplir le pronostique &c.* Suavissimis hisce literis exordio mei itineris ad me

me perlatis nil aliud respondi nisi exscriptis in meo ipso Epistolio versibus illis, quos Bernardus de la Monnoye a se, dum Parisiis essem, compositos mihi non una vice recitaverat, quosque imagini Cardinalis Destrèes subjectos in lucem ediderat Bernardus Montfauconius, in fronte prioris Voluminis Hexaplorum Origenianorum. Sunt autem hujusmodi versus illi.

Hic ille est Latio CÆSAR decus additus ostro
Heroa de gente satus, non degener Heros,
Quem Tiberis, Boetisque colunt, cui Sequana plaudit,
Consiliis Reges doctus populosque juvare,
Immensaque omnem complexus mente Minervam,
Et calamo, & lingua magnus, sed pectore major.

Hosce, inquam, versus quum exscripsissem in eo Epistolio, duas tantum lineas eidem adjunxi, videlicet, *Monseigneur, pour m' adoucir la peine de me voir separé de V. E. l' unique moyen sera de ne faire que chanter ces beaux vers dans mon voyage.* Adeo clancularia fuit mea illa emigratio, ut fugerit vel ipsos San-Germanenses, & Renaudotium quoque, qui propterea ita ad me scripsit, *Je croyois vous trouver encore a l' Abbaye, lorsque j' y vins: vous y passastes en effet comme un esclair, & quoique j' y fusse, je vous manquais.* Nuncius tandem Bentivolus (ut alios omittam) discessum meum

meum intellexit tantum ex literis, quas ei exaravi altero discessus mei die; quare suas die 4. Decembr. ita exorditur, *Ricevo con la dovuta stima, ed aggradimento l' honore ch' Ella mi fa di darmi un luogo distinto nel suo primo Dispaccio, e ardisco lusingarmi di meritarlo in parte per la sincera amicizia, ch' io le professo e per &c. S' Ella ha avuto sentimento in lasciarmi, io non la sento partita senza un vivo dispiacere, e posso dire con Monsignor Vescovo di Cambrai* La Constitution est arrivée, & vous m' echappés.

Fuga, quam dulcibus hisce verbis Bentivolus mihi improperat, ad Burgundiæ utriusque tractus e vestigio me detulit. Primum igitur recto tramite contendi Antisiodorum, & in Monasterio S. Germani a Benedictinis benigne exceptus, sacras hujus Antiquitates eo diligentius explorare valui, quo promptius iidem oculis meis subjecerunt quinque magnæ molis volumina manu exarata, quibus Georgius Viole, Congregationis S. Mauri Monachus, digesserat historiam Abbatum ejusdem Monasterii, nec non manuscriptum Chronicon de eo argumento confectum a Victore Cotronio, pariter ejus Congregationis Monacho. Iidem præterea aditum mihi fecerunt semel iterumque alloquendi Canonicum, cui nomen *le Beuf*, eo tempore studium impendentem Vitis Antisiodorensium

Præ-

Præſulum illuſtrandis, quum jam ad ejus manus perveniſſent amplæ Collectiones in eam rem a Ludovico Natali ab Amico paratæ. Ab Antiſiodorenſi urbe ad Divionenſem, Burgundiæ Ducatus caput, progreſſus ſubſtiti in Cœnobio S. Benigni, cujus origo, æque ac Antiſiodorenſis S. Germani, ſeculi VI initia attingit. Ut ad eam regionem edoctior acceſſerim earum rerum, quæ ejuſdem Antiquitates, & hiſtoriam præſertim literariam reſpicerent, acceptum fero magnæ, quam Pariſiis inieram cum Bernardo de la Monnoye, neceſſitudini. Hic multa mecum verba fecerat de Chronicis San-Benignianis tam editis, quam manuſcriptis, de Catalogo Bibliothecæ San-Benignianæ confecto a Paulo Dumay, & Bibliothecæ Janninianæ titulo hac de cauſa prænotatæ, quod eo tempore Nicolaus Janninus, frater Petri Præſidis Parlamenti Divionenſis, San-Benignianam Abbatiam obtineret, & de ejuſdem Pauli Dumay Epiſtolico commercio cum pluribus doctiſſimis Viris, præſertim cum Scaligero, Caſaubono, & Grotio, de filii quoque ejuſdem Pauli in Latina poëſi præſtantia. Multa pariter verba mihi la Monnoye fecerat de Lantinii Conſiliarii ejus urbis Bibliotheca, ad quam ex Claudii Salmaſii legato deveniſſet librorum hujus pars media, reliqua parte item ex ejuſdem legato addicta manente Phi-

li-

liberto de la Marre. At nihil mihi frequentius confabulationibus illis suis idem memorabat, quam singularem Joannis de Bouhier, Divionensis Parlamenti Præsidiis, eruditionem. Ad hunc itaque, ut cupiebam, San-Benigniani me cito deduxerunt; isque, dum Divione permansi, assiduus mihi adfuit, nullam partem celans literariæ illius supellectilis, qua mirum in modum ipsius Bibliotheca & Museum abundabant. In primis vero oculis meis exhibuit manuscriptos Codices tam multis, tam variis sacræ & prophanæ Antiquitatis monumentis ad Burgundiæ historiam pertinentibus refertos, ut non alio quam Thesauri Burgundi nomine ipsos indigitari debere pronunciaverim, dum eosdem magna cum admiratione evolverem. Ille contra mirabatur, me Divionensium rerum haud mediocriter peritum eo accessisse, & inter cætera Epistolam de Trium Impostorum commentitio libello, ipsi a Bernardo de la Monnoye inscriptam, mihi jam innotescere, item quæ de Poemate, cui titulus *Pervigilium Veneris*, ex Divionensi Codice manuscripto observaverat idem Bernardus, demum (ut reliqua omittam) quæ luserat ipse Bernardus in Epitaphio Claudii Nicasii, hujus obitum deflendum scribens non a Gallis tantum, sed a Germanis etiam, Batavis, & Italis, quod inde magnam jacturam fecissent Huetius, Nori-

risius, Toinardus, Leibnitius, Basnagius, Bælius, Grævius, Cuhnius, Perizonius, ad quos omnes frequenter literas dare consueverat Nicasius & ab ipsis etiam frequenter accipere, at amarius præ cæteris eundem deflendum a tabellariis, quandoquidem *Nul n'y perd tant que la poste:* ita Ephitaphium illud desinebat. His ipsis diebus, quibus hæc scribo, locum invenire curavi in Epistola Epigraphica de Diptyco Brixiano Boethii Consulis edita a V. Cl. Jo. Gasp. Hagenbuchio Turici typis Heideggeri & Soc. Adnotationes in illud Diptycum, quas mihi transmittere dignatus ante aliquot annos fuerat idem præstantissimus de Bouhier, quasque recondita ejus in hujusmodi antiquariæ rei Cimeliis eruditione refertas minime decebat meo in Museo delitescere. In Epistola, cui easdem Vir ille summa cum humanitate sociatas ad me pervenire voluit, dulce mihi fuit legere refricatam memoriam Burgundi mei itineris; scribit siquidem, *Je prens d'autant plus volontiers cette liberté, qu'elle me fournit une occasion de me renouveller en l'honneur du souvenir de V.E. ayant eu l'honneur de la voir ici autrefois, quand Vous y passâtes & ayant des lors &c.* Tota ea Epistola usque ad calcem comitatem illam spirat, quam abunde expertus fueram Divione in optimo illo Viro.

Sociis binis San-Benignianis Monachis, ex in-

inferiori Burgundia ad ſuperiorem migravi. Hujus metropolim Veſontionem ingreſſi, divertimus ad Monaſterium S. Vincentii, ibique ſtatim avidos oculos conjeci in exhibitas mihi ab iis Monachis varias Chiffletiorum, nimirum Petri Franciſci, Joannis Jacobi, & Julii lucubrationes, quibus ejus Urbis, imo integri Comitatus res Eccleſiaſticas luculenter illuſtratas fuiſſe deprehendi. Studioſe inter cætera ab iiſdem Monachis accepi, quæ de vindicato ab interitu, Julii Chiffletii, & Joannis Baptiſtæ Boiſoti opera, Granvellianarum Chartarum theſauro mihi Pariſiis jam prænarraverat Bernardus de la Monnoye. Studioſius adhuc, quæ iidem de magna ejuſdem Boiſoti erga ſe beneficientia mihi retulerunt, namque Cœnobio S. Vincentii, cujus ille primus fuerat Commendatarius (a Galliarum Rege poſt pacem Neomagenſem ad eas infulas nominatus) literariam ſupellectilem ſuam legaverat. Hujus ſingula fere capita, Codices nimirum, & ſigna diligenter obſervans ſolidum diem in Bibliotheca moratus ſum, miratuſque vehementer pretium illius Cimelii, Monachos hortari non omiſi, ut Collectionem tam raram & copioſam ad grati erga inſignem benefactorem animi argumentum, & in literariæ Reip. commodum, typorum ope publici juris efficerent. Eo jucundius mihi fuit, quemadmodum de Abba-

te

te Nicasio Divione, ita de Abbate Boisoto Vesontione multa intelligere, quod ambos eruditionis suæ specimina Romanæ etiam Aulæ exhibuisse nossem, dum Romæ moram traheret Christina Speciæ Regina, quæ & doctos illos Viros una cum cæteris sua benevolentia & existimatione dignata est. Burgundo itineri a me in hunc modum peracto plausit præ cæteris amicis meis Parisiensibus Renodotius datis literis 3. Decembr. *Je vous avois bien dit* (inquit Renodotius) *que Vous ne pouviez faire la visite des Abbayes, que Voūs vous proposiez, en si peu de tems, puisque le seul Royaume de Bourgogne Vous a occupè plus que Vous ne pensiez. Cela me fait croire que Vous acheverez l'hyver en France, & que Vous l'aurez depouillèe de toutes les belles connoissances, que Vous emporterez avec Vous. J'espere que Vous les rendrez utiles a l'Eglise, d'autant plus que Vous les porterez dans un pays ou elles ne sont gueres connues.* Postea aliqua subdit de Patriarcharum Alexandrinorum Historia jam a se evulgata, & de inchoanda quamprimum Liturgiarum Orientalium Editione, ac tandem de reditu Baluzii relegati ita subdit, *M. Baluze est enfin revenu, & il est aussi gaillard que jamais.*

Suadebant Cœnobitæ illi San-Vincentiani, ne ex iis partibus egrederer minime lustrato Monasterio Condatescensi S. Claudii

in

in monte Jura. Ego vero fassus iisdem sum libenter illud a me adeundum, quod de ea re fidem meam ferme obstrinxissem Cardinali Destrèes, ejusdem Commendatario; at hyemalem tempestatem, quam peregrinationibus meis æque propitiam haud sperare valebam proximis mensibus, ac ea fuerat mense Novembri, quem utrique Burgundiæ obeundæ feliciter impenderam, in causa esse subjunxi, ut Lugdunensem viam quantocius assequi studerem, quo Avenionem ante Natalitia Festa pervenirem, quemadmodum Alamanno Salviato Apostolico in ea Urbe Vice-Legato me facturum spoponderam. Iter itaque Cabilonum versus arripui, postquam tamen Dolas Sequanorum, & præterea insigniores quasdam in iis tractibus Benedictinas Abbatias percurrissem, nimirum Reomaënsem S. Joannis, Tornodorensem S. Michaelis, Melundensem S. Petri, Molismensem S. Roberti, quin aliquot etiam Cistercienses, & in primis Ordinis caput, Cistercium, ac Firmitatem. In Urbe Cabilonensi hospitium mihi præbuit Cœnobium S. Petri, cujus conditor sæculo VI. desinente Flavius Cabilonensis Episcopus. Plures in loci illius Bibliotheca horas contrivi, ut libros ipsi legatos ab Abbate le Roy inspicerem. Cabilono relicto, parum abfuit, quin ad Augustodunensem civitatem diverterem, cupiens prisca

mo-

monumenta, quæ adhuc ibi ſpectantur, contemplari, de quibus multa Divione acceperam, nec non de veteri ejus nomine, quod pluribus Virorum doctorum lucubrationibus argumentum præbuerat. At inſtantem hyemem, ut paulo ante dixi, formidans, poſt inſpectum celebrem, in Cabilonenſi ſuburbio ſitum Cluniacenſis Ordinis Prioratum, & inſigne ejus Templum S. Marcello a Gunttramno Rege, cujus ibidem ſepulchrum viſitur, conditum, recta adivi caput ejuſdem Ordinis, Abbatiam Cluniacenſem. De hujus Antiquitatibus quum ſat multa mihi conſtarent ex Opere Andreæ Quercetani, *Bibliotheca Cluniacenſis* inſcripto, ſatius fore exiſtimavi, ſi a Monachis illis edocerer de nuperis, quas Cœnobium eorum paſſum fuerat, turbationibus, occaſione ſive inſtitutæ in eodem ſanctioris Obſervantiæ, ſive Breviarii reformati, ſive denique nimiæ poteſtatis, quam ſibi in eo, imo in toto Ordine vindicabat Cardinalis Bullionius, Cluniacenſis Commendatarius. Cluniaco Matiſconem iter habens Regiam Abbatiam Trenorchium inviſi, eam ipſam, quam pro alia S. Baſoli a ſe abdicata Cardinalis de Fleury obtinuerat. Inde Matiſconem perveni, eodemque die Lugdunum, ubi biduum ſubſtiti, ejuſque magnam partem in Bibliotheca Collegii Societ. Jeſu conſumpſi. Ab ejus curatore P. Domi-

nico

nico de Colonia evolvendam accepi Claudii Francifci Meneftrier civilem,& confularem Lugdunenfis urbis hiftoriam, Lugdunenfium rerum uberrimum promptuarium. Idem infuper mihi retulit, Ecclefiafticam quoque ejus Urbis hiftoriam ab ipfo Meneftrier defcribi cœptam fuiffe, eoque mortuo eandem a fe continuari. Dum Lugdunum ingreffus fum, redditæ mihi fuerunt Parifienfes literæ plures, quarum omnium una ferme erat querela, nimirum de tempore Parifienfi commorationi ex meis hac & illac peregrinationibus fubtracto. Illam amicorum meorum nomine hifce verbis expofuit Cardinalis Deftrèes in literis datis 4. Decembris, *Vos amis* (inquit) *ne Vous pardonneront pas, que Vous ayez derobè a Paris ce qui Vous reftoit a paffer en France. Eh que! Vous devoit eftre la promenade dans deux ou trois Couvens aupres du commerce de vos Amis? Et je fuis feur que l'Abbè de Longuerue fe plaindra encore plus que moy. Cependant je veux me radoucir, & Vous affeurer que non obftant cela Vous devez conter, que voftre eloignement ne Vous peut jamais rien oter de tout ce que &c.* Turellius vero de ea re præ cæteris quæftus eft. *Chacun de vos pas* (inquit *maintenant Vous eloigne de moi, ce qui me plonge dans une forte de melancholie, & de trifteffe que Vous ne partagez point ingrat.*

Pedem Lugduno movens, non quidem Ave-

Avenionem, ut constitueram, sed Genevam versus contendi. Novo huic consilio causam præbuit mirificus cœli favor, qui hyemalem tempestatem in vernam propemodum converterat, necnon stimulus, qui animo meo hærebat ex amissa, dum in Burgundia essem, Condatescensis Monasterii invisendi occasione. Ut primo istud conscendi, humanissime mihi occurrerunt ejusdem Ascetæ, jam præmoniti ex Cardinalis eorum Commendatarii literis, facile accidere posse ut illuc diverterem. Lætati autem iidem valde sunt, mihi haud mediocriter comperta esse quæcumque de sacris ejus loci Antiquitatibus Annales Mabillonii prodiderant. Quumque iisdem conscium etiam me ostenderem dissidiorum, quibus nuperrime eorum familia agitata fuerat ex Monasticis quibusdam institutis, quæ jamdiu obliterata, ibidem rursus recipi, pio studio Destræus Cardinalis laborabat, aliqui ex ipsis curarunt, ut æque mihi innotesceret, haud ita pro certo habendum ad Benedictinæ Regulæ normam eorum Cœnobium primitus erectum fuisse, licet minime diffiterentur, S. Benedicti Abbatis famam & venerationem permanasse in Jurensia loca, postquam beatus Maurus isthic hospitatus, viduæ filium moribundum valetudini restituisset. Ex Juræ culmine Genevam descendi, hospitioque me excepit singulari cum comitate Dominus de la

Closure, qui in ea urbe Gallici Residentis munus gerebat. Adfuit etiam mihi comes, dum tribus diebus, quibus ibidem permansi, rariora quæque ejusdem Urbis attente observavi, & doctos quosdam invisi, in primis ex familia Turretinorum, nec non Benedictum Pictetum, eidem familiæ non literaturæ tantum, sed sanguinis etiam necessitudine conjunctum. Præter humanitatis officia, quæ iidem mihi exhibuerunt, haud parum voluptatis mihi attulit sat clare novisse, eosdem aversari marmoream Inscriptionem positam in publico foro ad epocham Papisticæ, ut in ea legitur, superstitionis ex ea Urbe eliminatæ retinendam, & præterea nullo modo ipsos gloriari de Ecclesiæ Catholicæ transfugis, præsertim ex Monastico claustro, Genevam secedentibus, quippe qui dedecus sectæ suæ potius quam laudem afferant. At longe majorem voluptatem expertus sum in adeunda civitate Anneciensi, ubi Natalitia Festa peregi, hospitio humanissime exceptus ab Antistite Genevensi, in quo, sanctissimis, & suavissimis moribus prædito, facile mihi fuit inspicere verum S. Francisci Salesii successorem. Interfui assidue sacris omnibus ab ipso celebratis in Ecclesia Fratrum Ordinis S. Francisci, in quam scilicet ad divinas laudes canendas, omniaque alia Ecclesiastica ministeria obeunda Canonici Genevenses jamdiu admitti consueve-

runt,

runt, quin tamen & ipsi Franciscani Patres suas sacras vices in eadem implere prætermittant. Eodem Præsule jubente, Sanctimonialibus Visitationis, quas in ea Urbe S. Franciscus Salesius instituit, ipsa Natalitia nocte juxta earundem ritum, Panem Eucharisticum manibus meis præbui, atque illas postea semel iterumque adivi, plurimam colloquiis nostris materiam suppeditante eximia earum primæ Abbatissæ Dominæ de Chantal sanctimonia, de qua etiam admodum rara mihi testatus fuerat idem Antistes. Hic post mensem a mea Annecio discessione Epistolam ad me dedit, quam adhuc servo, ceu sacrum pignus, quod Salesianam pietatem prorsus redoleat. Hac refertus, juste ille mihi visus est parvi facere literariam messem, Genevæ paulo ante a me collectam, præ colloquiis cum bonis suis Monialibus a me habitis, & præ familiari cum Clero suo convictu; nam inter cætera hæc scribit, *Je vous diray que vous avès faite, & faites encore le sujet de nos plus agreables entretiens. Pour quoi vous connoitre s'il falloit si tot vous perdre! Peu s'en faut, que je ne me plaigne de vous a vous meme. Enfin pendant le peu de temps que nous vous avons veu, vous avès &c.* reliqua addere omitto, quod suavissimæ erga me indulgentiæ fines omnes transilientia unice referenda sint Salesianæ bonitati, quæ in eo Episcopo (no-

men ignoro, ac solum dicere valeo, hisce notis sese eundem in literis illis subscripsisse *M. G. Eveque de Geneve*) eminebat.

Genevensis hujusce itineris mei certiores quum fecissem Parisienses amicos, ex illis Renodotius die 8. Januar. 1714. ita mihi rescripsit: *Vous aurez trouvè a Lyon, Mon Reverend Pere, une des mes lettres de vieille date, qui est vieillie en vous attendant. Je vieillissois de mesme estant en peine de votre voyage par la description qu' on m' avoit fait de vos premieres demarches. Je loue Dieu de tout mon coeur de ce qu' il vous a conduit plus heureusement que vous ne deviez esperer, & je le prie de vous accompagner de mesme dans tout votre voyage, sur le quel vous ne me faites aucun Almanach. Ainsi je compte que vous serez encore du temps en France, que vous connoitrez mieux que les gens du pays. Vous m' avez fort surpris en me marquant qu' on me connoissoit a Geneve, ou je ne crois connoitre personne que M. de la Closure Resident de France. Je m' estimerois fort heureux, si mes travaux pouvoient etre utiles a ceux qui sont dans l' erreur. Ils sont en ce pays la, a ce que j' ay oüi dire, des bonnes gents, mais d' un sçavoir mediocre. La raison est qu' ils n' estudient que leurs livres, & mesme de plus mauvais, puis il faut prescher, professer, ce qui consume beaucoup de tems. Pour continuer a vous rendre compte de tout, on commence aujourdhuy a im-*

imprimer les Liturgies. M. le Procureur General a commencé a opiner qu'il falloit mieux faire un in f.° que deux in 4.° & son avis sera suivi. Voila encore de l'occupation pour plusieurs mois, & tardante senecta sanguis hebet: *mais il faut faire force des rames & mourir en travaillant. J'ay refait entierement la Dissertation preliminaire sur les Liturgies & j'espere que vous en serez content. L'Abbé Melani est mort il y a trois jours a 89. ans: il a ordonné qu'on luy fit une sepulture avec son buste aux petits Peres, ou il figurera avec Lulli. Je ne sçai pas si Monseigneur le Cardinal de Noailles le permettra. Maistre Estienne Baluze est revenu comme vous sçavez, & il va travailler a une Edition de S. Cyprien. Que dites vous de notre Academie? ou nous avons un Poetastre qui a donné une Iliade reformée de sa façon, &c.* De lustrata a me S. Claudii Abbatia haud parum lætatus est, ut futurum certo jam noram, Cardinalis Destrèes, qui proinde 7. Januar. ita ad me scripsit: *J'ay appris avec plaisir vos differentes voyages, dont vous me paroissez tres content, & je m'attribue en partie vostre visite a S. Claude, comme je laisse toute entiere celle de Geneve a votre louable curiosité. Je l'ay sçue par M. de la Closure, qui s'est fort rejoui d'une si agreable hospitalité. Je l'en ay remercié en mon particulier, & je luy mande, combien vous vous en louez.*

CAPUT XII.

De suscepto Avenionem versus, Vienna, Valentia, & Arausica urbibus lustratis, itinere primis diebus mens. Januar. an. MDCCXIV. *moraque ducta in ea urbe usque ad medium mens. Martium, interjecto tamen itinere Occitano.*

E Genevensi tractu ut citato gradu properarem Avenionem, impulit me, quæ post equitem, ut ait Poeta, aliquando sedere sueta est atra cura, impulit, inquam, anxia sollicitudo, ne quum eo pervenissem, Salviatum, Apostolicum ibidem Legatum, mihi succensentem illico audirem, quod meam ad eas partes profectionem tamdiu procrastinassem. Itaque Annecio Viennam primum adii, primariam Delphinatus urbem, eamque Archiepiscopali Sede decoratam. In Abbatia S. Antonii, Regulæ S. Benedicti addicta, & principe totius Ordinis, cujus initia ad duodecimum seculum referuntur, pernoctavi, siquidem literas adventus mei prænuncias eo transmiserat Episcopus Genevensis paulo ante laudatus, eidemque Ordini adscriptus. Plura olim extitisse Monasteria intra, & extra civitatem Viennensem, ex Mabillonii Annalibus jam didiceram, viguisseque ibidem Griniacensium Monachorum instituta, eadem ferme, quæ apud Lirinenses, & aliquot alios, quorum in-

institutio Regulæ S. Benedicti per Gallias disseminationem præcesserat. Constabant ea Statuta ex Basilii, Cassiani, aliisque Patrum Orientalium Regulis. De Primaria Viennensis Ecclesiæ, præter eà quæ legeram in T. 2. Biblioth. Floriac. ubi privilegia quædam, antiquitates, & alia opuscula ad eandem pertinentia, Rescripta Pontificum, & Principum continentur, inspiciendum mihi Lugduni præbuerat P. de Colonia librum Joannis Drouet de Maupertuis, quo Viennensis Ecclesiæ Historia describitur a Crescentis primi ejus Fundatoris temporibus usque ad annum 1708. quo liber ille Lugduni fuerat impressus. Subjecerat quoque idem P. de Colonia oculis meis magnæ molis Opus duobus Voluminibus constans authore Jo. Nicolao Chorier, qui Geographica, Historica, & admiranda quædam Naturalia Delphinatus collegit, at parum accurate, ut ipse de Colonia me monuit. Hospites autem mei legendam mihi dederunt Orationem ab Jo. Bapt. Massilonio compositam in funere Henrici Villarsii Archiepiscopi Viennensis, qui obierat an. *1693.* cujusque Successor Armandus Montmorinius tribus tantum mensibus ante Viennam a me aditam fatis cesserat, huncque excepit Crillonius.

Post Viennam occurrit mihi Valentia, hospitiumque in hac mihi præbuit S. Rufi Abbatia, ad Canonicos Regulares spectans, ca-

putque eorundem Congregationis a Presbyteris quibusdam Avenionensibus institutæ. Eam mansionem mihi præsto esse curaverat Salviatus Præsul. Multa de ejus Congregationis origine quum hospites meos percontarer, evolvenda isti mihi obtulerunt Opuscula Joannis Columbi e Societate Jesu an. 1668. Lugduni edita, atque in iis libenter percurri non ea solum, quæ ad eandem originem attinerent, sed alia complura ad illustrandas res gestas Valentinorum, & Diensium Episcoporum conscripta. Ejusdem Auctoris librum alium singularem inspexeram Lugduni in Jesuitarum Bibliotheca, quo probare ille contendit, Joannem Monlucium Valentinum, & Diensem Episcopum non esse inter Hæreticos recensendum. Arausicam, Valentia relicta, pertransiens, toto eo itinere menti meæ infixos retinui Concilii Arausicani II. an. 529. celebrati Canones, quibus S. Augustini de divinis Auxiliis doctrina maximopere commendatur, eaque cogitatione valde quidem recreabar, at una simul indolebam tot malis, quæ ex prava eorum Canonum interpretatione, in Galliis præsertim, ea tempestate succrescere, viresque in dies sumere dignoscebantur.

Avenionem tandem contendi ante dimidium mensem Januarium, atque magnopere gavisus sum, statim placidum sese mihi dedisse Salviatum, postquam scilicet eidem explicavi, qua

qua ratione mea illa cunctatio nihil obfutura esset, quominus binos menses, de quibus pepigeram, secum transigerem. Præter assiduas omnibus horis cum eo Præsule confabulationes, oblectavit quam valde meum illud Avenionense domicilium necessitudo, quam junxi cum Marchione de Bimard de la Bastie, multijuga ejusdem, in rebus præsertim nummariis, eruditione captus, & cum Episcopo etiam Caballicensi de Guion (ascendit is ipse ante aliquot annos ad Cathedram Avenionensem) quo comite loca illa in ejus Diœcesi sita percurri, quibus magna accessit celebritas ex Petrarchæ carminibus. Dum ea loca obirem occurrerunt memoriæ meæ, quæ de vallis illius situ explanantem audieram Abbatem Salvinum, deprehendique traditam ab eo explanationem sat bene respondere versibus hisce Petrarchæ, quos ille mihi recitabat,

Se 'l sasso, ond' è più chiusa questa Valle,
Di che 'l suo proprio nome si deriva,
Tenesse volto per natura schiva
A Roma 'l viso, ed a Babel le spalle,
I miei sospiri più benigno calle
Avrian per gire, ove lor spene è viva, &c.

Jucundissimæ Salviato acciderunt literæ quotquot, dum apud ipsum morarer, Parisiis recepi, seu literarias, seu Ecclesiasticas res attingerent, nam utrasque diligenti studio perscru-

ſcrutari non omiſerat, Lutetiæ ſuperioribus menſibus moram trahens. Boivinius, Renodotius, Dacerius, Turellius magnam præ cæteris Eruditis Pariſienſibus, ſibi apud ipſum gratiam conciliaverant. Boivinium, antequam Avenionem pervenirem, meis literis excitaveram, ut quas ad me daturus foret, non Gallico, ſed Italico ſermone conſcriberet, quo Salviati Præſulis oculis exhibitæ comprobarent admirandos illos progreſſus, quos ipſe, ejuſdem opera in Academiam *de la Cruſca* receptus, in ejus idiomatis ſtudio habuiſſet. Attamen ille meas has ipſas laudes in cauſa eſſe reſpondit, ut ab exaranda Etruſca Epiſtola caveret: *Plus ces louanges* (ait ipſe) *m'ont fait d'honneur aupres de Son Excellence, qui ſçait ce que c'eſt que d'eſtre loué par un homme tel que vous, plus je dois craindre de le detromper, en lui prouvant par eſcrit que je ne les ay pas meritées*. Deinde jocatur in literas, quas Gallice ſcriptas a me acceperat, perinde ac ſi eæ forent, quibus nihil par præſtare ipſe poſſet, ſi Italice ſcriberet. Tandem Epiſtolam in hunc modum concludit: *Mais quand je ne trouverois pas dans votre lettre toutes ces raiſons qu'elle me fournit de ne pas faire ce que vous m'ordonnez, je n'en trouverois que de trop fortes dans mon incapacité & dans l'impuiſſance ou je ſuis de vous faire cette belle lettre Italienne, que vous me de-*

man-

mandez avec tant d' instance. Vos avis, Monsieur, vos leçons, votre approbation, le secours de votre lime, que vous m' avez si souvent prestée, tout cela me soutenoit lorsque j' avois le bonheur de vous avoir ici près de moy. Mais vous ny estes plus. Separè de vous, les forces me manquent, je languis, je deperis; intristisco, imborzachisco, incatorzolisco. *M. l' Abbè Regnier est mort. Le sçavant & judicieux D. Quirini nous a quittè. L'eloquence, les Muses, les Graces Toscanes s' en sont allèes avec luy. Elles sejournent maintenant a Avignon, ou leur Apollon les attendoit. Puisse-t' il nous les ramener dans peu, & revenir icy,* Nube (Purpurea *s' entend)* candentes humeros amictus *nous ranimer par ses regards. Ces sont, Mon tres R. P. les voeux les plus ardents de vostre tres humble & tres obeissant Serviteur* BOIVIN. Ita iste suis die 5. Januarii, quas quum jam mihi transmissas fuisse ignoraret Renodotius, iste die 29. ejusdem mensis quæ sequuntur ad me scripsit, in eundem ludens, quemadmodum ante ex Italicæ, ita postea ex Hebraicæ linguæ studio, cui pariter se addixerat: *M. Boivin compose apparemment, car je luy donnay votre lettre des Samedi chez M. le Procureur General a qui je fis vos complimens ainsi qu' a Madame, qui m' ont chargè de vous en bien remercier. Or M. Boivin est un homme nouveau, car il a pris une perouque blonde, & les sça-*

sçavnts travaillent a faire un Poeme semblable a celuy de Coma Berenices. *La sienne sera transformèe en une constellation de dagesch, de mappik, de cholem &c. M. Dacier a reçû votre lettre, & je le fairai souvenir de vous repondre.* Revera paulo post ad me delatæ fuerunt Dacerii literæ datæ die 4. Februarii, quarum initio modeste loquitur de Secretarii Gallicæ Academiæ munere, quod post Abbatis Regnerii mortem collatum ei fuerat, & de laudibus, quibus ipsum, ejusque conjugem mea in Epistola exornaveram, moxque subdit: *Nous ne doutons point que nous ne puissions passer en Italie pour de grands personnages, si vous daignez y parler favorablement de nous. Mais, Mon tres R. Pere, ne nous donnès pas une reputation que nous ne pourrions soutenir. Contentez vous de nous honorer toujours de vostre bienveillance, & soyes sur tout bien persuadè de nostre veneration.* Deinde acriter reprehendit nuperrimum Homericæ Iliadis censorem iis fere verbis, quæ superius p. 117. recitavi ex Epistola Renodotii. Tandem subdit *Permettez moy de vous prier, quand vous serès a Florence, d'assurer M. Salvini de mes respects. Il m'a fait esperer, qu'il m'envoyeroit des diverses leçons sur les Vies de Plutarque. J'aurois grand besoin de ce secours presentement, que je suis a la fin de cet ouvrage, & il me feroit un tres grand plaisir de me les faire tenir.*

tenir. Son bienfait ne sera point perdû & je n'en fairay pas un moins bon usage, que de celles que j'ay reçû de luy sur Hierocles. Demum Turellius die 22. Januarii ad me scribens, nil aliud mihi significat nisi gravissimas turbas Parisiis quotidie invalescentes ex contrariis studiis, in quæ Præsules, pro recipienda Constitutione *Unigenitus* Regio jussu convocati, scindebantur. De hoc ipso argumento plura, dum Avenione commorarer, ad me scripserunt Cardinalis Destrèes, Cardinalis de Rohan, Henricus de Bissy Episcopus Meldensis, Franciscus de Mailly Archiepiscopus Remensis (hi ambo nondum ad Purpuram evecti fuerant) ac tandem Franciscus de Fenelon Archiepiscopus Cameracensis. Eorundem literæ assiduis præbebant ansas sermonibus, quos cum Salviato miscebam, aderantque iisdem frequenter Gontherius Archiepiscopus Avenionensis, & de Guyon Episcopus Caballicensis, & quandoque etiam Cardinalis Zondodarius, qui Pontificis jussu Avenione pedem fixerat, postquam ipsum ad Hispanicam Legationem deferendam adegissent dissidia inter eam Aulam, & Romanam exorta. At priusquam eas literas recenseam, Occitanum iter, quo Avenionensem commorationem diffidi, præstat enarrare.

Hiemis clementia, quæ mihi Parisiis Avenionem post multas ambages tendenti mirifice

fice faverat, quum æque perseveraret Februario mense desinente, libuit mihi facultatem a Salviato impetrare lustrandi partem aliquam Occitaniæ. Recta igitur adivi Monpessulum, cujus Antistiti, ejusque fratri Marchioni de Torcy ac Marchionissæ hujus conjugi, Lutetiæ spoponderam, me aliquot dierum moram ea in urbe facturum, præsertim ut inviserem celebrem Villam, *Verune* nuncupatam, cujus amœnitatem ut ille mihi declararet, affirmaverat, *Ver unum*, seu perpetuum, ea voce significari. Integram itaque hebdomadam apud ipsum transegi. In ejus Bibliotheca innumeræ prorsus mihi sese obtulerunt Collectiones manuscriptæ de Occitaniæ provinciæ rebus, quarum copiam quum admirarer, Præsul, qui ibi aderat, occasionem inde sumebat mihi suaviter exprobrandi quod Parisiis ipsi aliquando dixeram, me valde vereri, ne quæ de sua ille Bibliotheca prædicabat, ad Vasconicam jactationem accederent. Diligentius in eadem evolvi Volumen in fol. Tolosæ editum authore Petro Gariel, quo séries Præsulum Magalonensium, & Monspeliensium ab anno 451. usque ad an. 1665. describebatur, nec non aliud eodem auctore item in fol. cui titulus, *Idée de la Ville de Montpellier* impressum eodem anno 1665. *a Montpellier*. Quamvis tamen magna foret mea delicias illas degustandi cupiditas, haud parum

rum temporis adhuc supererat ferendi cum eo Præsule colloquia de iis præsertim, quæ Parisiis gerebantur pro componendo Constitutionis *Unigenitus* negotio, eorundemque scopus fuit, mentem ei Præsuli (quoad mihi liceret per incredibilem benevolentiam, qua me ille, ac cuncta ejus familia dignabatur) injicere, ut, siquidem concordia illa defuisset, staret ipse, a bonorum Præsulum causa. De hac ipsa re quum certiorem reddidissem Marchionissam de Torcy, veniamque ab ipsa postulasse, hæc illa ad me, *Votre voyage vous a donc conduit dans un lieu, ou je voudrois bien pour l'amitiè que je porte a M.r de Monpellier, que vous pussiès demeurer quelque tems. Une compagnie telle que la votre ne seroit pas inutile pour adoucir un peu les soins d'un Diocese assès turbulent, & puisque vous nous avès quittè que pouvons nous faire de mieux, que de vous souhaiter avec ceux, que nous aimons? Tant que vous y seriès, j'espererois que M.r de Monpellier serviroit a vous faire souvenir de moi, & a me conserver les bontès, dont vous m'assurès. Mais si vous en partès, je ne laisserai pas de me flatter &c.*

Suasit mihi idem Antistes, ut, quoniam cœli tempestas favebat, Narbonnam usque progrederer, admirandam oceani cum mari mediterraneo junctionem oculis meis inspecturus. Portentosum illud opus, quo Ludovicus

cus XIV. *gemino fecit commercia mundo*, quum magna jam invisendi voluntate flagrarem, parui statim Antistitis consilio, & quo die itineri me dedi, ea erat aeris serenitas, qua nihil amœnius vere ipso optari potuisset. Dum vero equum conscendens de eo cœli favore valde mihi plauderem, Episcopus hoc audiens in hæc verba erupit, *Cependant ces sont les plus vilaines journèes, que nous ayons dans ce pais-ci*; hocque ejus dictum Vasconicam jactationem eidem rursus exprobrandi ansam mihi dedit, riseruntque aulici ejus omnes quotquot aderant. Pro ea junctione contemplanda, ad Biterrensem urbem recta adivi, nam ut regius canalis eam potius allueret, quam Narbonnam, seu Carcasonam, aut Tolosam, Riquetus ejusdem opifex, ex suo erga patriam amore curaverat. Portentosæ moles junctionis illius causa constructæ adeo in sui admirationem me rapuerunt, ut Occitaniæ urbes appetens, quæ mihi peragrandæ restabant, nimirum Narbonensem, Agathensem, & Nemausensem millies ingeminaverim, *Unum pro cunctis fama celebret opus*. Eo igitur spectaculo recreatus Narbonnam primo perrexi, de cujus rebus sat multa Parisiis legeram in Tomo XII. Collectionum Patris Estiennot extantium in San-Germanensi Bibliotheca, & præterea in Volumine Conciliorum Narbonensium typis edito Parisiis anno 1668. a Stephano Baluzio.

Post

Post Narbonnam cupido aliqua me cepit Tolosam usque pergendi, videbarque auribus meis percipere Bernardi Montfauconii conquestiones ex patrii soli caritate profectas (ortum duxerat in Occitania) si iter istud omisissem. Frustra fuit meum illud desiderium, indeque his me literis Montfauconius compellavit, *Vous avès bien manquè, aprés avoir tant rodè dans la France, & avoir poussè jusqu' a Narbonne, de ne pas aller jusqu' a Toulouse, qui n'est qu' a trois journèes. C'est la plus belle, & la plus grande ville de France apr s Paris.* Deinde aliqua subdit de rebus literariis, atque inter cætera de libro superius p. 239. memorato hæc habet, *Pour ce qui est de la Dissertation de Fabula, tout le faix tombera sur quelque autre, que sur vous, & sur moi. Je ne vois pourtant pas, qu'on puisse lui faire beaucoup de peine pour un sujet si legere. On la condamnera apparemment a l'Indice, & puis cela demeurera là.* Claudit eas literas hisce verbis, *L'Emo Destrèes parle souvent de vous, & commence toujours par ce que je lui ay rapportè de vous de Florence.* Avenionem itaque post Narbonam repetendi consilium cepi, eoque iter convertens, in urbibus Agathensi, ac Nemausensi paulum substiti, in illa, quod ejus Episcopus me humanissime invitasset, in hac vero, quod ejusdem Antiquitates, de quibus aliqua jam legeram in lucubrationibus Jacobi

Grasserii, & Gaillardi Guirani, minime a me negligendæ viderentur. Eandem Civitatem valde præterea mihi commendabat memoria Flecherii Episcopi, qui ante tres annos obierat. Provide a me factum fuisse, ut reditum ex Occitaniæ partibus, quas percurreram, ad Avenionensem urbem properarem, edocuit me Agathensis Episcopus ita scribens, *Si vous aviez differè a partir le lendemain, j'aurois eu le plaisir de vous posseder quatre jours de plus, malgrè vous a la veritè. Mais je croy qu' accoutumè aux traverses, qu' essayent les Voyageurs, vous auriez pris votre mal en patience. Le jour que vous partites, il arriva icy le soir des gens en poste, qui ètojent venues par la meme route que vous teniez, & qui me dirent qu'ils vous avoient rencontrè a moitiè chemin. Je fus ravi d'apprendre, qu'au moins jusques là il ne vous ètoit point arrivè d'accident, & que les passages ètoient ouverts, car j'apprehendois fort que vous ne trouvassiez en des endroits le canal assez debordè pour vous empecher de passer.* Literas hasce quum legerem, tacitus intra me ista loquebar, Improspere ergo mihi cessisset, si canalis ad facienda gemino commercia mundo fabrefactus commercium meum cum Salviato interturbasset. In ea Occitaniæ parte, quam peragravi, celebre admodum est Monasterium Anianense, cujus, regnante Carolo Magno, auctor S. Benedictus filius Comitis Magalonensis.

Ave-

Avenionem redux, ſtatim a Salviato legendas accepi plures literas mihi inſcriptas, quodque eæ de Pariſienſibus turbis nova narrarent, avide etiam lectæ ſunt ab eodem Præſule, perinde ac ſi confecti a me in Occitania itineris narrationes nihil prorſus curaret. Pauca iſta de eo argumento ſcripſit 8. Februarii Cardinalis Deſtrées: *Les Prelats* (inquit) *ont achevè leur travail ſur la Bulle. Je n'en dis rien ici. Ils n'ont pas touts eſtè de meſme avis, comme j'aurois fort deſirè. Le Roy n'oubliera rien pour les reunir.* De meo ſtudio in evolvendis chartis Romanorum Pontificum, qui Avenione ſederant, poſtea ſubdit: *Je vois bien que vous emporterez touts ces titres là, comme Vous nous eſtes allè enlever les archives de toutes les Abbäyes du Royaume. J'ai quittè depuis une heure M. le Nonce. Nous avons bien parlè de Vous. Il m'a dit tout ce qu'il avoit eſcrit de Vous en* Segreteria *a Rome, & je l'en y bien remerciè, car je regarde ce qui vous touche* „come fatto mio proprio„. At nihil prius in eadem Epiſtola Salviato legendum obtuli, quam verba quæ ſequuntur. „Monſignore Salviati„ *a fort bien fait de Vous retenir le plus qu'il le pourra, & vous ferez tres bien de demeurer-là plus que vous pourrez avec un ſi aymable Prelat. Je luy ſuis tres obligè de l'amitiè, qu'il Vous temoigne pour moy, Vous pourrez, Monſieur, l'aſſeurer,* „ch'

Egli è pienissimamente corrisposto ". *Nous avons un Nonce aymable icy, mais il sçait, qu'il ne Nous l'auroit moins estè* " e puol' essere che per questo posto il genio per la Nazione gli abbia pregiudicato ". Meldensis Episcopi literæ datæ 22. Februarii Volumen complectens Acta Conventuum Parisiensium, & inter cætera Mandatum Pastorale, cito meas ad manus perventurum pollicentur, moxque ibidem subditur. *Je ne puis trop Vous exhorter a apprendre a fond toutes ces matieres-là pour que Vous soyez plus en estat de soutenir la veritè dans les places, ou la Providence Vous elevera. Je compte beaucoup sur la droiture de vòtre coeur, & sur l'ardeur que j'ay trouvèe en Vous de connoitre en tout la veritè.* Quas autem dedit Cameracensis Antistes die 30. Januarii, acceptæ Salviato quam maxime fuerunt. Earum exordium recitavi superius p. 84. eidem vero ista subjungit, *Est ce donc ainsi que vous estiez pressè de retourner en Italie? Non obstant cette infidelitè je veux vous repondre a coeur ouvert sur la Constitution* Unigenitus. *A Dieu ne plaise que je blame personne en louant cette decision du S. Siege. Je la trouve tres digne de l'Eglise mere & maitresse. La liaison des propositions condamnèes montre evidemment des systemes affreux. Chaque proposition prise en particulier est mesme insoutenable, quand on la regarde de prez.*

Cel-

Celles, qu'on veut faire ressembler a des textes de S. Augustin, ne leur ressemblent nullement. Les differences sont visibles & essentielles. Si vous estiez a Cambray au lieu de courir pendant l'hiver comme un Juif errant, nous verions Vous & moy en deux heures de conversation la verité de ce que j'avance. Minime etiam mihi defuerunt Monpessulani, & Agathensis Antistitum literæ, quæ, ut cætera omittam, amantissime queruntur de præpropero meo Avenionem regressu. Agathensis illas jam indicavi; in primis vero hæc Monspessulanus legenda mihi dedit, *Tout le monde Vous blame de nous avoir quitté si tòt. Depuis votre depart M.r de Treissan, tous les autres sçavants de la Ville de Montpellier m'ont abandonné hors M.r Coste, qui a èté fort affligè de ne vous avoir pas trouvè ici a son retour de Marseilles. M.r de Montpezat aprés vous avoir quitté arriva ici furieux contre tout le genre humain sans aucune exception, de ce que dans ce meme genre humain il ne s'ètoit pas trouvé un seul individu, qui eut pris la peine de l'avertir du sejour, que vous aviès fait ici. Mais si vous eussiès passè tout le tems que vous avès été ici entre deux hommes aussi silentieux que luy, & M.r de Treissan, vous seriès arrivè a Avignon plus sourd que M.r de Basville.*

CAPUT XIII.

De discessu ex Avenionensi urbe medio mense Martio an. MDCCXIV. *peragratis primariis Provinciæ urbibus, acta Hebdomada Majori in Cœnobio Lirinensi, ac tandem de suscepto ex urbe Forojuliensi Italiam versus itinere.*

PRope medium mensem Martium de Avenionensi urbe relinquenda cogitavi. Quod spectat ad rem Monasticam, nullam ibidem extare memoriam antiquiorem, nisi Ecclesiam Parœcialem, ad quam Agricolus Avenionensis Antistes egregios Monachos non paucos ex Cœnobio Lirinensi, ubi ipse prima Monachatus sui jecerat fundamenta, accire ante finem sæc. VII. curaverit, jam ex Annalibus Mabillonii deprehenderam. Extat tamen in eadem urbe Monasterium S. Andreæ, cujus a Claudio de Chantelou descriptam, & nunquam editam Historiam mihi Parisiis, seu in Monasterio S. Dionysii ostenderat P. Dionysius de S. Marthe. Quo diuturnior fuit mea in Avenionensi urbe commoratio, eo citius me expedire curavi e Provinciæ, quam mox ingressus fueram, finibus, unde propositum mihi erat in Liguriam navigare. Arelatem primo petii, deinde Aquas Sextias, Massiliam, Tolonem, Forum Julii, Lerinam insulam, ac rursus Forum Julii. In Arelatensi urbe hospitio me excepit Jacobus de Janson

ſon Archiepiſcopus, Cardinalis hujuſce nominis ex fratre nepos, iſque, aliquot Viris doctis ad ſe accerſitis, ut fruerer eorum colloquiis, eos ipſos comites mihi eſſe juſſit, in luſtrandis Arelatenſibus Antiquitatibus. Inſpexi igitur diligenter Amphitheatrum, Theatrum, Veneris ſtatuam, Obeliſcum, & alia hujuſmodi, quibus ea civitas abundat. Adivi præterea iiſdem comitibus ædes Joannis Raybaudi, Advocati, miratuſque ſum ampliſſimam, quam ille oculis meis humane ſubjecit, veterum omnium Arelatenſium Monumentorum manu exaratam Deſcriptionem, & alias inſuper Collectiones de rebus Provinciæ apud ipſum extantes. Poſterum diem placuit mihi, cum bona Archiepiſcopi venia, in Monaſterio S. Petri ſito extra muros urbis Arelatenſis tranſigere, & maxima quidem ex parte in Bibliotheca. Ibi evolvendam Monachi mihi præbuerunt Hiſtoriam ejus Monaſterii confectam a Claudio Chantelovio, nec diſſimularunt ſe ægre admodum ferre, hujus Scriptoris authoritate Mabillonium ſuis in Annalibus prodidiſſe, nihil fide dignum de eodem Cœnobio inveniri ante Sæculum decimum. Memini eoſdem mihi legendos obtuliſſe Hexametros quoſdam ad centum de adventu Annibalis in adverſam ripam Arelatenſis agri, compoſitos a Petro Quiquerano, Epiſcopo Senecenſi, meque ad prandium ac-

cedere recusasse nisi post lectionem illam absolutam. Vespertino tempore ad Archiepiscopi ædes regressus sum. Novum iste humanitatis suæ argumentum mihi exhibuit in literis, quas ad me dedit altero postquam ab eo discesseram die, hæc inter cætera scribens, *Monseigneur l'Eveque de Castres, & les autres personnes, qui ont eu l'avantage de vous voir icy ne cessent d'admirer aussi bien que moi &c. Mais ce qui m'a charmè c'est le fond de pietè de votre cœur, & votre amour pour l'Eglise &c.* Qui hæc scripsit in hujuscemodi pietate, & amore paucos pares habuisse certum est.

In urbe Aquisextiensi æque hospitem me suum esse voluit Carolus de Luc Archiepiscopus, is ipse, qui Infulas illas post multos annos cum Parisiensibus commutavit. Ea in urbe Bibliotheca Ludovici Thomasini de Mazagues, in quam librorum etiam Nicolai Peirescii ingens supellex confluxerat, mihi maximæ admirationi fuit. Obierat Mazaguius ante annum, & amplius. Adfuit tamen qui me ad invisendam eam Bibliothecam accedentem exciperet statim valde comiter. Admissus igitur fui in secretius quoddam cubiculum, quo Peiresciani illi libri adservabantur, narratumque mihi fuit quo pacto iidem ad Mazaguii manus pervenerant, ne ea quidem portione excepta, quam antea Begonus soluto pretio sibi comparaverat. Dolens audivi

divi quam malo fato accidisset, ut Peirescii neptis doctorum Virorum Epistolas avo suo datas excitando igni identidem admoverit,& præsertim complures Salmasii manu exaratas. Libris Historiam Provinciæ complectentibus abundare mirum in modum eam Bibliothecam deprehendi, quumque inter ipsos exhibiti mihi forent Annales Dionysii Faucherii, Monachi Lirinensis, e vestigio ipsos ceu suppositos, aut maxima ex parte vitiatos, explosi, ita edoctus Parisiis ab Abbate de Longuerue. Hic præterea magnopere mihi commendaverat Historiam Comitum Provinciæ a Ludovico Antonio de Ruffi conscriptam, quemadmodum Dissertationes Historicas, & Criticas, quas de eorundem Comitum origine ediderat Ludovicus Antonius ejus filius, Massiliæ an. 1712. De Chorographia autem, & Historia Chronologica Provinciæ, authore Honorato Bouche, prodiderat mihi idem Abbas, juste eundem Bouche plagii a quibusdam insimulari, opusque illud tribuendum esse Patri Joanni Jacques, Priori Augustinensium Massiliæ, qui quatuor Volumina in folio de argumentis illis confecerat. Vacabant tunc Provinciæ rebus illustrandis Petrus Joseph de Haitze, & Josephus Bougerelius, Aquisextiensis Oratorii Presbyter. De Antonio Pagio, æquo illo, & erudito Baronii censore, ad viciniam Aquarum-Sextiarum

nato

nato, ut quam plura ſciſcitarer, in cauſa fuit idem Abbas, quippe qui, ut ſuperius p. 124. monui, diligenter collectas, & exſcriptas literas omnes, quas ad ipſum Pagium dederat, ſolitus erat mihi legendas præbere, dum domi ſuæ eundem convenirem. Quis fuerit Pagius ille, ſeu quam aſſiduos in Eccleſiaſticorum Annalium Editionem labores impenderit, plures quidem Eruditi, præſertim dum mecum una ad Archiepiſcopi menſam conſiderent, ſatis fuſe declararunt; at carui longe uberiori, & certiori eorundem laborum notitia, quam haurire mihi datum fuiſſet ex Franciſco Pagio, Antonii ante annos circiter quindecim demortui nepote, niſi iſte ab Aquiſextienſi urbe eo tempore abfuiſſet. Nullum tunc memini motum fuiſſe ſermonem de Antonio Pagio, Franciſci jam jam laudati nepote, cui ſcilicet debemus Breviarii Hiſtorici Romanorum Pontificum ab ipſo Franciſco concinnati Partem alteram Tomi ſecundi, & præterea ejuſdem Operis continuationem uſque ad noſtra tempora, cujus Tomus prior Antuerpiæ anno 1748. jam prodiit, alter autem jam ad umbilicum perductus traditur. Forte junior hic Antonius Pagius inter pueros reperiebatur, dum ego Aquis-Sextiis adſui. Narrat enim ipſe in Præfatione ad Partem illam alteram, de Propatruo ſuo Antonio Pagio ſe tantum audiviſſe, Patruum vero ſuum Franciſcum vi-

diſſe

disse dumtaxat, tamdiu scilicet sibi eundem ostendisse fata, quantum sat erat, non ut proficeret, sed quantam in eo jacturam fecerit, cognoscere posset. Subdit, Franciscum obiisse an. 1721. Monastica monumenta nihil me Aquis-Sextiis remorata sunt, quod unica extet in ea urbe Abbatia, Cellensis dicta, ex Brignolles eo translata; imo unica in tota illa Diœcesi, hæcque unico pariter dumtaxat Capitulo Canonicorum gaudet, Cathedralis nimirum dicatæ Salvatoris Transfigurationi.

Aquis-Sextiis quum valedixissem, delatus sum celeri gradu Massiliam, Telonem, & Forum-Julii, celeri, inquam, nam propositum mihi fuerat, Hebdomadam Majorem in Lirinensi Cœnobio traducere. In prima earum urbium hospitio me excepit insignis Abbatia S. Victoris, quam ut adirem, humaniter me invitaverat Matignonius, Condomensis olim Episcopus, deinde post Infulas hasce abdicatas, ejusdem Abbatiæ, in quam scilicet fiduciarium jus obtinebat, perpetuus incola. Nihil ergo meam illam celeritatem retardarunt eximia, quibus gloriantur Telo, atque Massilia, Navalia, seu'Armamentaria; quare Forum-Julii statim advolavi, Andream Herculem de Fleury salutaturus. Id facere maximopere avebam, quod Parisiis complures testati mihi fuissent, & præsertim Cardinalis Destrées egregias Præsulis illius dotes, inprimis vero inge-

ingenii præstantiam, mirificamque non Theologicarum tantum rerum, sed politiorum etiam literarum peritiam. Avide, ut illico agnovi, meum iste adventum præstolabatur, nihilque propterea intentatum reliquit, ut a proposito sanctioris hebdomadæ dies, qui jam instabant, inter Lirinenses Monachos transigendi me dimoveret, ac pene excanduit, dum vidit me in eodem immota mente persistere. Itaque sesquidiem dumtaxat apud ipsum permansi, quodque colloquiis suis incredibilem mihi voluptatem attulisset, volens, libensque eidem spopondi, post brevem in Lirinensi insula moram, me certo certius ad Forojuliensem urbem remigraturum, indeque auspicia capturum Italiæ adeundæ non quidem per ambages, quales præteritis mensibus consectatus fueram, sed recto omnino tramite. Aquievit ille meis istis promissis. Quo tamen fidem meam magis magisque obligaret, de iis certiorem se facturum tam Cardinalem Destrèes, quam Marchionem de Torcy profiteri non omisit. Multa deinde de meis illis ambagibus sciscitatus a me est, plausitque singularem in modum, dum causam illis dedisse affirmavi Santolii versus de Sequana aquarum suarum cursum remorante ex domicilii Parisiensis amore, qui hujusmodi forent,

Sequana quum primum reginæ allabitur urbi,
Tardat præcipites ambitiosus aquas;

Cap-

Captus amore loci cursum oblivifcitur, anceps
Quo fluat, & dulces nectit in urbe moras;
Inde per obliquos fluctu subeunte canales
Fons fieri gaudet, qui modo flumen erat.

Tot, tantosque mæandros, quibus Gallicas provincias huc, illucque peragrare susceperam, pari amore captus ac Sequana, finem tandem habituros suis in ædibus Præsul dictum a me putavit pro assentationis officio, quin tamen abnueret spei hujuscemodi indulgere. Inanem istam nullo modo futuram iterum iterumque pollicitus, Lerinam properavi. Per octiduum, quo in eo Cœnobio subsidi, Sacris omnibus magna religione celebratis præsens adfui; reliquas autem horas impendi pluribus libris evolvendis, & in primis Sanctorum Operibus Vincentii, & Cæsarii, pariterque Vincentii Barralis. Annales Mabillonii, Gallia Christiana Sammarthanorum, in Lirinensi Bibliotheca desiderabantur, pariterque Sirmondi, & Pagii etiam, atque Dupinii Opera, quibus libenter usus fuissem ad penitius dignoscendas res sacras ejus Insulæ. Nactus tamen sum bina Cardinalis Ossati Epistolarum Volumina, nec legere eas prætermisi, quæ palam comprobant, Lirinensem Abbatiam ad Congregationis Montis Casini, seu Sanctæ Justinæ jura omnimodis spectare.

Ex ea insula me reducem eo suavius Fleury Antistes amplexatus est, quo pronius in suspicio-

picionem venire jam cœperat fidem de reditu meo ei datam in auras abiisse. Eundem notam hanc mihi inussisse, ex ingenuo ipsius testimonio primum deprehendi, deinde ex literis etiam Marchionissæ de Torcy de suscepta a se, & a Cardinali Polignachio innocentiæ meæ defensione ita scribentis, *Nous avons tous deux bien fortement assurè, que vous estiez incapable de la mauvaise action, dont M.r de Frejus vous avoit soubçonnè d'avoir trompè son esperance, & de luy avoir cachè votre marche. Le tems, qui esclaircit toutes choses, nous a fait voir a tous deux, que l'on ne se trompe jamais a bien peser des personnes telles que vous, mesme contre les aparences, qui dans cette occasion ne paroissoient pas favorables. Vous vouliès aparement par cette finte adjouter une nouvelle grace a la visite, que vous destiniès a M.r de Frejus, & la lui rendre encore plus sensible en revenant sur vos pas expres pour luy.* Gratulata deinde est in iisdem literis commercio Epistolico, quod deinceps juncturi essemus Forojuliensis Antistes, & ego, *Vous vous convenès* (ait illa) *trop tous deux pour negliger entre vous la seule ressource de l'absence, & je regarde le comerce de lettres, que vous aurès ensemble, comme le plus agreable soutien, qu'il puisse avoir dans la solitude. Je serois bien trompèe, si vous aviez a invoquer pour luy le recours d'Arpocrate &c.* Æque ac Marchionissa de Torcy, conscium

se

ſe mihi oſtendit Cardinalis Deſtrèes accuſationis ejuſdem a Fleury Præſule adverſus me intentatæ, namque in hunc modum ad me ſcripſit, *Depuis vôtre lettre, M.r, du cinquieme Mars, a la quelle j'ay repondu par la voye de M. le Conte Bardi il m'en eſt venue une autre du 27. Mars de Lerins, & depuis deux jours il m'en eſt venue une du Prelat de Frejus avec la penitence, qu'il vous avoit juſtement imposèe pour l'excez, que vous aviez commis a ſon eſgard. Je voit que vous l'avès acomplie avec edification, & en avès reçû l'abſolution. Je vous aurois reſpondu pluſtot, mais depuis pret d'un mois j'ay eſté tourmenté d'une goutte a la main droite, qui n'eſt pas encore tout a fait paſſée. L'afflic̃tion de la grande perte, & ſi peu attendue, m'a ſi vivement touché, qu'en verité je ne puis vous le repreſenter: M. le Duc de Berry enlevé en quatre jours a la famille Royale, & ſans avoir eu au moins la ſatisfac̃tion de voir les couches de la Princeſſe ſa femme, groſſe de ſept mois, eſt une choſe douloureuſe. Le Roy la ſent extremement, & il faut tout ſon courage, & ſa religion pour ſoutenir ce nouveau coup aprés tant d'autres.*

Quam arctam cum eo Præſule familiaritatem junxerim, quam ſuavia cum ipſo miſcuerim colloquia, quodnam fuerit facetiarum genus, quo mecum jocaretur, quam mature conſcium me fecerit Paſtoralis Mandati, quod pro recipienda Conſtitutione *Unigenitus* publi-

blicare constituerat, quam benigne mecum de illo judicium exploraverit, hæc, inquam, omnia dilucide explicabunt ejusdem literæ, quas statim affero. Eas ad me dedit paucis tantum diebus post meam ab ipso discessionem, atque ita se habent, *Je commence, Monsieur, par Vous faire des excuses de ce que je me sers d'une main etrangere pour repondre a la lettre, que Vous m'avez fait l'honneur de m'escrire du 10. Je pretends que Vous devez m'en sçavoir quelque grè, & si Vous receviez souvent de mon ecriture, Vous ne manqueriez pas de me dire, comme nostre illustre Cardinal, que je Vous ai fait prendre l'usage des lunettes. Je ne sçavois plus ce que Vous etiez devenu, car on me dit que Vous n'etiez pas encore le Dimanche matin a Monaco, & je croiois que Vous aviez peut etre encore rebroussè chemin pour retourner a votre cher Lerins, ou pour venir revoir vos chevaux si fideles, & si bons domestiques. Si j'en jugeois par l'erudition de vos deux premieres citations, je croirois que Vous auriez estè faire un second voyage a ce Monastere, dont elles sont tres dignes, & je ne doute pas que Vous ne les ayez au moins tirées de Valauris. Je suis ravi que Vous soyez content de M. le Prince de Monaco, dont Vous avez fait la conquète. C'est votre coutume & Vous le marquez par les gites differentes, que Vous avez fait dans votre route. C'est une aimable maniere de voyager, & c'estoit celle*

celle d'Achille, car Vous avez sans doute appris a Lerins qu' iter est Achillis. *Je souhaiterai fort que l'Isle de S. Honorat fut du nombre des vos conquètes, mais ces Moines sont durs & difficiles a gagner. Vous me flattez, Monsieur, par un endroit bien sensible, en m'assurant que Vous m'avez donnè une belle place dans vòtre Coeur, & je la prefererois a celle, que je pourrois avoir dans celui de plus de quarante Evesques de France. J'aime tant M. le Cardinal Destrèes, que je souhaite que Vous me mettiez derriere lui comme son Codataire. Ce ne sont pas les sujets comme moy, qui Vous rendent eloquent, mais c'est plustost votre eloquence, qui leur donne le prix & le lustre. De quelque façon que ce soit, je desire fort avoir quelque part dans l'honneur de vòtre amitiè, quand mesme il en devroit couter quelque chose a vòtre discernement. J'ay appris, le lendemain de vòtre depart, que M. le Cardinal de Rohan avoit reçù un Bref du Pape, tres honorable pour luy, & pour les quarante. Je n'ay pas doutè que le Mandement de M. le Cardinal de Noailles n'eust eu la sorte, qu'il a eu, & je suis tres veritablement affligè* de l'impegno *ou il s'est jettè. La note de l'Indice seroit peu de chose, si elle ne servoit de pretexte pour le pousser vivement de ce cotè icy. Si ce que vous dites si obligeamment a'un Plan, que Vous avès vû a Frejus, ou* extra *Frejus*, nescio, *n'est pas conforme a ce que vous en pensès, je vous ci-*

 terai

*terai au tribunal de la veritè, comm'un seducteur, qui tend des pieges a des ames simples, pour leur donner la hardiesse de publier ce qu' elles ont conçû. Je vous souhaite, Monsieur, un heureux voyage, & que tous les vents se taisent sur la mer a l'exception du doux Zephire, ou de l'*Aura Favonii *qui Vous porte legerement a Gennes. Je Vous supplie de ne pas m'oublier dans vos courses, & d'estre persuadè que Vous avez en moy le plus humble, & le plus obeissant de vos Serviteurs.*

Exitum, quem habuerat die 5. Februarii Episcoporum Conventus, Regio jussu ad recipiendam Constitutionem indictus, plures Parisienses literæ mihi declaraverant. Has omnes avide legens Episcopus Forojuliensis, vix credi potest quam graphice mihi depingeret scribentis cujusvis animum. Optimum utique præsetulerunt Cardinalis Rohanius, Archiepiscopus Remensis, & Antistes Meldensis. Rohanius literis suis initium hoc fecit, *On a bien flattè en ma faveur, Mon Reverend Pere, le recit qu'on Vous a fait de ce qui s'est passè dans l'assemblèe du Clergè. Je conviendrai avec Vous de mon amour pour la veritè, & pour la saine doctrine, de mon respect sincere pour le S. Siege. Pour ce qui est du reste de vos eloges, je les regarderai comme des temoignages obligeans, & des suites de l'amitiè, dont Vous m' avez honorè en ce pays-ci.* Remensis Præsul ita

ita ad me ſcripſit, *Nòtre Aſſemblèe finit hier. Nous ne ſignerons cependant que Lundì ou Mardi le procès verbal. Monſeigneur le Cardinal de Noailles, M.r l'Archeveque de Tours, M.r de Verdun, M.r de Laon, M.r de Chalon, M.r de Boulogne, M.r de Senez, M.r de S. Malò, & M.r de Baione n'ont point voulu donner leur avis pour l'acceptation, & prennent le parti de demander des explications au Pape.* Tandem Epiſcopus Meldenſis hæc habet, *Noſtre grande affaire eſt finie du 5. Fevrier. Nous n'avons pas eu toute l'unanimitè que nous deſirions, mais j'eſpere qu'elle viendra dans la ſuite. Quant au detail que Vous me demandez, Vous en ſerez bien mieux inſtruit par noſtre procès verbal qu'on imprime, le quel contiendra tous nos actes, & entre autres noſtre Inſtruction Paſtorale, qui eſt une piece importante. Je Vous envoyerai de tres bon coeur noſtre procez verbal, qui ſera imprimè dans quinze jours, ſi Vous m'indiquez une voye ſeure pour cela &c.* Archiepiſcopus Bituricenſis, & Antiſtes Catalaunenſis meis literis omnino brevi reſponderunt. Catalaunenſis autem occaſionem cepit Epiſcopos Monpeſſulanum, & Mirapincenſem his verbis commendandi, *Je ſuis ſurpris de Vous ſçavoir encore a Montpellier. Je ne doute pas que vous n'ayès trouvè dans le digne Evèque de cette Egliſe tout l'accueil, que vous doit attirer par tout vòtre merite, & vòtre naiſſance. Je ſouhai-*

haiterois fort que vous eussiez p i faire connoissance avec M.. l'Evèque de Mirepoix Sa pietè vous eust edifiè, & sa science eust gagnè vòtre estime. De Cardinali Noallio ejus fratre hæc præterea subdit Catalaunensis, *Il a ètè si accablè depuis vòtre depart, qu'il avoit a peine le tems de respirer, & de vivre. Je l'ay v i souvent ne pouvoir pas souper devant neuf heures & demie du soir. Je ne sçai comment il a p i resister aux debordemens d'affaires, & de travail, qu'il a eu à essuyer. J'en ay eu ma part, & je commence à ressentir ici les suites de la fatigue.* Nec omittam memorare Epistolam aliam Præsulis Monpessulani, quæ pariter in Forojuliensi domicilio me convenit. Ea lepide ita inchoatur, *Je renverse tous les jours, Monsieur, tous les papiers qui sont sur la table de mon Cabinet, pour voir si quelque une des vos agiles lettres ne seroit pas encore venüe furtivement se meler parmi eux sans annoncer son arrivèe. Mais j'ay beau les remuer. Je n'y en trouve point. Est ce faute de bien chercher, ou seroit en que le fleuve Lethè se seroit mis &c.* Quo spectaret hujusmodi exordium dum intellexit, me interprete, Fleury, risit statim jucundissime; huic siquidem retuli, me, ut primo ingressus sum Monpessulani Episcopi ædes, deductusque ab ipso fui ad interius conclave, amice conquerentem eum audisse de subito meo adventu, cujus scilicet nunciam vel duarum linearum li-

literulam eidem Avenione mittere neglexiſſem; quumque in eo conclavi, ad eum ipſum locum, quo conſidebamus, adeſſet tabula chartis, præſertim epiſtolaribus, undique cooperta, accidiſſe, ut oculis meis, neſcio quo pacto, veluti immerſam iiſdem chartis, implicatamque detegerem Epiſtolam manu mea exaratam, eam ipſam ſcilicet, qua de meo adventu Epiſcopus præmonebatur, clauſam tamen, & obſignatam; indeque eundem rubore ſuffuſum prorſus ignoraſſe quo ſe verteret.

Opportune, dum jam jam in eo eſſem ut Forum-Julii relinquerem, perlata etiam ad me eſt Cameracenſis Archiepiſcopi Epiſtola, qua lecta mecum ipſe pepigi, ſapientiſſimos, quibus illa referta erat, ſenſus toto vitæ meæ tempore normæ loco mihi literarum ſtudiis vacanti eſſe debere. Integram ipſam recitabo, quod aliis quoque, præter me, documento eſſe poſſit *ſobrietas* in eadem adeo inculcata, *Je ne puis, Mon Reverend Pere, me refuſer la conſolation de Vous dire combien j'ai ètè affligè de votre dèpart. Je ne meritois point que Vous priſſiez la peine de revenir ici. Je vous avois meme manquè en pluſjeurs occaſions, ou mes embarras infinis m' avojent oſtè la libertè de contenter mon coeur. Je deſirois de reparer tout le paſſè, & de Vous poſſeder ici un peu de tems en repos. Nous aurions parlè des matieres de religion qui ſont l' unique affaire des Chretiens, & ſur tout*

des

des Ministres de l'Evangile. Nous aurions compté pour rien la science qui enfle, & nous aurions cherché en simplicité la charité qui edifie. Nous aurions parlé avec amertume sur une Critique temeraire, qui ébranle tout en nos jours. Nous aurions deploré les divisions, qui causent un si affreux scandale. Nous aurions conclu que rien n'est bon qu'une sagesse sobre. „Sapere ad sobrietatem „*Mais vòtre depart m'a osté l'esperance de toute cette joye. Au moins souvenez vous que parmi tant de gens, que avez vus en France, vous en avez connu un qui vous aime, qui vous honore, qui connoit ce que Dieu a mis en vous, & qui prie, afin que* „celui qui a commencé „l'ouvrage, le continue jusques au jour de J.C.„ *Quittons tout ce qui n'est que curiosité, qu'ornement d'esprit* „Sed posteaquam mihi cura„rum Ecclesiasticarum sarcina imposita est, „omnes illæ deliciæ fugere de manibus, ita „ut vix nunc ipsum codicem inveniam„. *La religion souffre de tous costez, la verité est en peril. Le vaisseau de Pierre est agité par la tempeste, prions, humilions nous, appaisons Dieu. Mettons nous en état de reprimer les Sociniens, & les Deistes, qui corrompent les esprits. Edifions les pleuples pour les retenir dans une foi simple, malgré les artifices de tant des novateurs. Donnez moi de vos nouvelles, &c. Ne voulez point oublier celui qui sera* „ad convivendum, & commoriendum„ *vòtre &c.*. Quam valde

ea

ea sobrietas, in Galliis præsertim, necessaria foret, literæ Bentivoli Nuncii, junctim cum jam recitatis meas ad manus delatæ, palam declararunt. Queritur & ipse de meo præpropero in Italiam discessu, ac postea subdit: *Quanto mi trovo io imbarazzato fra Mandamenti, accettazioni, assemblee! &c. Altro che Dio può più rimediarci, ed il Papa, ed il Re sono in necessità di ricorrere a' rimedj risoluti.*

Tandem relinquendum fuit Forum-Julii, tandem triste dicendum vale Antistiti illi suavissimo, cum quo *sæpe vale-dicto rursus sum multa loquutus.* Curaverat is ipse, ut bini equi, quos in literis suis vocaverat meos *si fideles, & si bons domestiques*, etsi ejus urbis Mercatori ante biduum a me venditi (& quidem eo ipso pretio, quo eosdem Parisiis comparaveram) præsto tamen mihi adessent Nicæam profecturo, quo in loco terrestri itineri finem forem facturus. Gratam valde habui curam hanc ab Antistite susceptam; quare una cum famulo equis illis conscensis Nicæam lucis unius spatio perveni, eosque statim contradi jussi homini illi, quem emtor ad eosdem recipiendos Nicæam usque allegaverat. Meum erga ipsos amorem adeo plene perspectum habuit idem Antistes, ut mihi, antequam annus, de quo agimus, elaberetur, ita scripserit, *Au reste je Vous ay connu toûjours un si bon coeur, mais en mesme tems d' une si grande fermetè, que*

que je ne crains point de vous annoncer une mauvaise nouvelle de la même maniere, qu' Homere fit annoncer a Achille la mort de son ami Patrocle. Je vous dirai donc qu'un des vos chers chevaux Gist, le cher compagnon des vos voyages, & pour le quel vous aviez tant de tendresse. Ce pauvre animal n'a pu survivre a la douleur de s'estre separè de vous, & il y a cinqu' ou six mois qu'il a quittè le monde. Eo molestius mihi contigit a fidis illis itineris mei sociis divelli, quod iis relictis mare Ligusticum, quo nihil magis infidum, ingredi statim decrevissem. Postero igitur die Nicæa Monoecum navigavi, ibique a loci Principe eam erga me comitatem expertus sum, cujus certum me reddiderat Fleury, magna cum ipso amicitia conjunctus. Lusit iste mecum suo more, dum de eo Principe ad me scripsit, *dont vous avez fait la conquête*; contra namque ejus ego Principis humanitate devinctus, ipsius Aulam deserui. Levi navigio vectus Januam secundis ventis pergens portum intravi paulo post medium mensem Aprilem an. 1714.

Atque hic pariter portum capiet prima ista Commentarii mei pars, juste complexa vitæ meæ dimidium, paucis tantummodo mensibus exceptis, qui mihi defuerant, ut ad illud, dum Januam appuli, pertingerem.

Finis Libri Secundi.

NOI RIFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la fede di revifione, ed approvazione del P. F. Giacinto Maria Marini, Inquifitor Generale del Sant'Offizio di Brefcia, nel libro intitolato: *Commentarius Hiftoricus de rebus pertinentibus ad Ang. Mar. Cardin. Quirinum*, non v'effer cofa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente, per atteftato del Segretario Noftro, niente contro Principi, e buoni coftumi, concedemo licenza a Gian-Maria Rizzardi Stampatore di Brefcia, che poffi effer ftampato; offervando gli ordini in materia di Stampe, e prefentando le folite copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li primo Giugno 1749.

(*Gio: Emo Proc. Rif.*
(*Barbon Morofini Cav. Proc. Rif.*
(*Marco Fofcarini Cav. Proc. Rif.*

Regiftrato in Lib. a car. 5. al num. 51.

Michiel Angelo Marini Segret.